









6

COMMENTATIO THEOLOGICA  
QVA ASSERTITVR:  
OPERATIONES DEI IN ANIMIS  
HOMINVM GRATIOSAS ESSE  
MIRACVLA.

---

A VCTORE  
IO ANNE IACOBO BAVR  
MAGISTRO LEGENTE IN ILLVSTRI  
STIPENDIO THEOLOGICO TVBINGENSI.



---

2. Cor. XII, 9.

Ἄγεῖ σοι ἡ χάρις μου.

---

GOTTINGAE  
APVD VICTORINVM BOSSIEGELIVM  
A. MDCCLXVIII.

COPIA LIBRI THEOLOGICI

DEI ASSERITIVAE

GERARDUS DE SANCTO ANDREAE

MONACHUS GRAMMATICVS

MIRACULA

IN

IOHANNIS IACOBI

DE THEOLOGICA

SCIENTIA

LIBER PRIMVS

IN

DE


DE THEOLOGICA



## ACCESSIO AD INSTITVTVM.

**Q**uamuis mea assertio, qua: *Operationes DEI* in animis hominum gratiosas miracula esse propugnatum eo, noua atque insolens plane non sit: fuerunt tamen, qui ab ea sollicitè sibi cauerent, quasi hac denominatione missa, longinquius extra tela quorundam aduersariorum essent positi. Cum vero neque hos ipsa in re dissidentes habeam, nostrae Confessionis asseclas, atque praeterea Virorum Illustrium nominibus, qui expressum adhibuerunt nomen ipsum, tutus sum, meorum equidem laborum daturus specimen libere ita atque ingenue meam eloqui thesin non dubitavi. Excitare lubet in huius rei fidem primum bigam Philosophorum, fama post mortem perennante insignium. Alter est B. G. B. Bilfingerus, qui hunc in modum differit a): „Certum est inspirationem, reuelationem diuinam „&c. esse miraculum; etsi actio sit interna, & com- „plures eruditorum miracula definiuerint per obiecta „in sensus externos incurrentia. Certum est, quod „conuersio hominis irrogeniti, quoniam viribus na- „tura-

a) Dilucid. Philosoph. §. CCXXX.



„turalibus nequaquam fieri potest, sit miraculum, &  
 „a quam plurimis Theologis ita vocetur. Certum  
 „est, quod operationes Spiritus S. effectiuac, in ani-  
 „ma omnes (etsi ordinariae h. e. frequentes & vsui di-  
 „uini verbi connexae) sint actiones, quae sui ratio-  
 „nem in natura ipsa non habent, adeoque nostra de-  
 „finitione miracula., Sententia certe Philosopho  
 pariterque Theologo, qualis & fuit, iudiciosissimo,  
 digna! Alter vero est, praeceptor olim meus, mul-  
 tis mihi nominibus venerandus B. Canzius, qui in  
 suis Meditationibus Philosophicis a) inquit: „Si mi-  
 „raculum adpellas omnem euentum supernaturaliter  
 „determinatum, conuersio miraculum erit - - Mi-  
 „raculum strictè dictum, vt verbum Dei fide ample-  
 „ctamur efficit., Ex Theologis, qui, si non adeo  
 frequenter *miraculum*, tamen *supernaturale quid* inge-  
 minant repetuntque, vnum allegare sufficiat Ill. ac Re-  
 uerendiss. Cancellarium Giessensem C. M. Pfaffium,  
 meum pariter olim Praeceptorem Colendissimum.  
 Ait ille b) - - „quin profecto, hanc qui obiectio-  
 „nem fundunt, quantum Conuersio hominis mira-  
 „culum sit, omnium vtique, quae cogitari possunt,  
 „maximum, omnino haud capiunt., En hic B. L.  
 me non sine illustri auctoritate disserentem. Cete-  
 rum idem fere, quod B. Luthero visum fuit enunti-  
 are c) de eo, qui nouerit discernere legem ab Euan-  
 gelio, asserere non dubitat B. Ph. Iac. Spenerus d)  
 de eo, qui nouit naturam discernere a Gratia. Deo  
 gra-

a) Meditat. Philosoph. p.  
609.

b) Institut. Theol. Dogm.  
p. 15. 16.

c) in Comment. ad Galatas,  
Opp. Lat. Tom. IV. f. 39.

d) Natur und Gnade S. 1.



gratias agam, si prima horum principia affectus fuero. Adiuuet me sua DEVS Gratia, & Tu, L. B. faue.

§. I.

*Tractationis ratio.*

**O**rdinis autem in mea tractatione hanc habeborationem, ut


1. Operationum gratiosarum, de quibus maxime incidere quaestio potest, atque miraculi definitiones exhibeam.
2. vt per argumenta defensionem thesicos, interspersis passim Librorum Symbolicorum testimoniis, adgrediar.
3. vt historiam oppositarum thesium breuem & succinctam propinem.
4. vt dubia quaedam potiora exponam atque refutem.

§. II.

*Aequivocatio vocis Gratia.*

Ante autem quam in indolem Operationum Gratiosarum indagare licet, a vaga atque multifariam vsurpata significatione reuocandus est terminus Gratiae. Verum quis vel latiores significatus omnes, vel & aduersariorum detorsiones in compendio dederit? Potiora exequar. Mirifice suo hic ingenio indulgent Sociniani, & quotquot a) cum iisdem hac in refaciunt, quibus mox gratia est: reuelatio Euangelii & voluntatis DEI in genere, mox: facultates concreatae, aut in natura reliquae, mox: Christi & fan-

a) B. Hulfemannus de Auxiliis Gratiae p. 24. 26. 27.



sanctorum exempla, quae in vita praebuerunt credituris. Eodem iure & aliis addere integrum erit dona omnis generis naturalia. At vero cum de gratia nos quidem praecisius loqui occipimus: *b)* vel intelligimus benignum atque propitium Numinis fauorem, quo ad salutem nostram procurandam mouetur; vel merito Christi iam prouocatam Dei beneuolentiam; vel denique benignam Numinis operationem in illuminanda, conuertenda, funditus emendanda, ad nouam vitam excitanda &c. hominum anima positam 1. Cor. XV, 10. Eph. I, 6. 1. Petr. V, 10. Atque haec quidem est huius loci: Est Gratia, quam ex plenitudine eius hausimus Ioh. I, 16. Per hanc Gratiam, quicquid deliciarum est in Deo, in nos deriuatur. „Profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia frenatur, manat iugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantum sitiat pectus, & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum Gratiae inundantis haurimus, c). Facio itaque meam, simplicem istam, sed qua melior non datur, B. Lutheri definitionem: *d)* „Die Gnade Gottes, ist Gottes Hulde oder Gunst, die er zu uns trägt bey sich selbst, aus welcher er geneiget wird, Christum und den Geist mit seinen Gaben in uns zu gessen.

### §. III.

*Transitus ad definitiones Operationum Gratosarum.*

Quodsi iam aequa lance rem pondero, & compendium facere licet, quidquid haec Gratia efficit, re-

- b)* B. Buddeus Instit. Theol. Donatum fol. 34.  
 Dogm. p. 905. *d)* Aurea Praef. in Epistol.  
*c)* Cyprianus in Libro ad ad Rom.

redit ad *Conuersionem* atque *Sanctificationem*. Vocatio enim in nostris systematibus ita tractatur, vt nondum ibi ad aliquem in animos hominum attendatur effectum; Poenitentia autem, cuius & alteram partem constituit ex methodo Fides a), immediatus dicitur conuersionis transitivae effectus. Quocirca acquiescere potero pro instituti ratione in definitionibus Conuersionis atque Sanctificationis b).

§. IV.

*Definitiones Conuersionis atque Sanctificationis.*

Conuersio est actus DEI ad extra transiens, Ier. XXXI, 18. Ezech. XXXVI, 26. 27. Act. V, 31. quo per verbum Legis & Euangelii, Spiritus S. efficacia foecundum 1. Cor. XII, 3. homines e morte spirituali Eph. II, 1. seqq. h. e. plena DEVM salutariter cognoscendi & amandi impotentia, in vitam spiritualem v. 5. per appropriationem meriti Christi Phil. III, 9. transducit. Sanctificatio autem est actio Dei ad extra transiens 1. Theff. V, 23. qua homini conuerso per verbum & sacramenta Iac. I, 18. 21. Tit. III, 5. spiritualia magis magisque cognoscendi c) Eph. V.

a) Vid. B. Hoffmanni Synops. p. 669.

b) Eodem fere modo procedit S. R. D. Schubertus in dissert. de verbi diuini virtute physica an morali §. III.

c) Illuminationem enim in negotio salutis Scriptura S. commemorat duplicem: alteram,

per quam ipsa conuersio siue regeneratio circumscribitur, quo sensu Euangelium dicitur *Φωτισμός τῆς δόξης τῆς Χριστοῦ* 2. Cor. IV, 4. Alteram, qua profectus *ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πράξει γινώσκει* 1. Cor. I, 5. in sanctificatione denotantur, ad quam hic respicimus.

V, 14. atque coelestia missis terrenis & virtutum genus omne sectandi, vires largitur. 2. Petr. I, 3. seqq. b).

§. V.

*Cur Iustificationis non facta sit mentio?*


Mirum videri possit, cur inter Operationes Gratiolas plane non meminerim *Iustificationis*, cuius doctrina basin nostrae fidei constituit, At vero, cum disquirendum mihi sit de iis Operationibus Gratiae, quae ad actiones Dei ad extra transeuntes pertinent, atque mutationes animis hominum ex se naturaque sua inferunt: Iustificatio huius esse generis non videtur. Est enim ea repraesentatio gratiosissima in mente diuina, qua DEVS Iudicis officio fungens hominem a peccatis absoluit propter fide apprehensum meritum Christi Rom. IV, 5. Phil. III, 9. huiusque iustitiam imputat c). Quocirca hanc esse actionem dixeris DEI ad extra immanentem, vti visum est Theologis loqui. Atque quamuis iustificatum omnino dulcissimum ex absolute sensus perfundat: tamen hic ex iustificatione potius consequitur, quam eandem constituit.

§. V.

b) In distinguendis Gratiae conuertentis gradibus, varii *παιδιας τροποι* placuerunt Theologis. Commemorasse sufficiat distinctionem inter gratiam incipientem, operantem & perficientem. Dedimus a. definitiones Conuersionis &

Sanctificationis, prout in nostris Compendiis habentur, quarum demonstrationem ipsa continet tractatio.


c) Conf. accuratissime hac de re disputantem Hulsemannum de Aux. Gratiae p. 23.



## §. VI.

*Miraculi definitio.*

Promouere iam gradum licet ad Miraculi definitionem. Cuius in explicatione quantopere Philosophi a se dissentiant, atque in alia omnia abeant, vix dici potest. Equidem in praesentiarum cur istis me litibus immisceam, non video. Consentientes tamen mecum fore, quotquot non in proprii sui systematis gratiam philosophari consueverunt, nullus dubito, si hanc dedero explicationem: quod miraculum omnis is sit effectus, qui sui rationem efficientem in essentia & natura rerum creatarum non continet. Cumque rerum creatarum aliae ad mundum corporeum pertineant, miraculum in isto erit effectus, qui ex essentia & natura corporum, ex eorum mechanismo legibusque motus nullatenus resultare potest. In regno autem rerum creatarum simplicium intelligentium, miraculi titulo insigniendus erit effectus is omnis, qui ex earum essentia, natura & facultatibus in se inexplicabilis est. Ecce enim miraculi titulum mereatur mutatio, cuius ratio plane non continetur in legibus physico-mechanicis, & non itidem eodem nomine digna sit mutatio, quae in legibus ethico-logicis non comprehenditur? Cum fit aliquid supra leges physico-mechanicas, ad quas dirigitur, solito ordine, mundus corporeus; a nemine eorum, quibus miraculum omne offendiculo non est, negatur ipsum miraculum. Quod si iam aliquid accidat supra vires rationis humanae, supra propensionis voluntatis, prouti infra demonstrabitur, quid horremus miraculi vocem? An dicere praestabit: has actiones esse supernaturales? Nonne definitionis  
vtri-



vtriusque idem ius est? Nonne cum miraculum in mundo corporeo factum per perpetuam atque incomparabilem harmoniam transferat suos effectus ad spiritus, animas; & vicissim effectus in his supernaturaliter producti transeant & influant in omnes mundi mutationes, vtrouque par erit ratio? Scilicet miraculosa vtrouque relinquuntur vestigia, vt adeoque de pari iure vtrouque dicendi: adesse miraculum! conicere liceat.

### §. VII.

#### *Ratio probandae thesios.*

His praemissis probandum igitur mihi incumbit, Operationes, quas descripsi, Gratiotas, esse miracula. Demonstrationis rationes ita instruem 1.) vt profundissimam per peccatum animi humani, omnem gratiam respicientis, corruptionem esse, euincam 2.) vt expressis S. Scripturae oraculis ostendam bonas in animis mutationes a vi quadam diuina supernaturali proficisci, tum quod ad intellectum attinet, tum quod ad voluntatem. 3) Vt ex commendata pro emendatione animi crebriusque inculcata precum necessitate arguam, atque vt denique. 4) Qua lege haec sese miracula Operationum Gratiotarum in animis exerant, dispiciam.


### §. VIII.

#### *Profundissima hominis corruptio probatur ex dictis Gen. VI, 5. VIII, 21.*

Non vereor, ne haec disputatio de profundissima hominis corruptione in commentatione mea iusto longius petita videatur, cum in aprico sit, *πρῶτον*  
hic

hic *ψεδος* multorum residere, qui fines Gratiae in-  
 uadere atque coarctare velle non erubuerunt. Ac-  
 cingo me igitur ad rem. Vbi vero graphice magis  
 depingitur deploranda haec animi humani conditio,  
 quam Gen. VI, 5. itemque VIII, 21? Nonne gra-  
 uissima haec verba? רבה רעת האדם בארץ וכל יצר לב  
 יצר לב ורע כל היום: atque iterum רע מנעוריו:  
 Enucleanda est vis vocum, est verbum figulorum,  
 ollas summo cum studio atque solertia effingentium.  
 Quapropter & commentatur B. Lutherus: a) „Sic vo-  
 „cat hoc, quod homo potest in suis cogitationibus, seu  
 „cum ratione & libero arbitrio, etiam in summo gra-  
 „du. Ideo enim figmentum vocat, quod homo sum-  
 „mo studio excogitat, deligit, facit sicut figulus, &  
 „putat pulcherrimum esse,„. Consentit cum inter-  
 pretatione Jalkut Schimoni: כי יצר לב האדם רע עלובה:  
 „Vitiosa est היא העיסה שנחתומה מעיד עליה שהיא רעה:  
 illa massa, de qua testatur pistor eius, quod mala fit,„  
 Vox מחשבות proprie cogitationes, effectus facultatis  
 animae superioris notat, vti videre est Esth. IX,  
 25. Pl. XCII, 6. נעורים autem, quanquam & latius ac-  
 cipiatur quandoque pro aetate aliquantulum proue-  
 ctiori Ies. LIV, 6. tamen vi deriuationis suae ad tenel-  
 lam

a) Opp. Latin. Tom. VI. in Genesin p. 97. edit. Witeberg.  
 1561.



lam proxime aetatem spectat. נער enim denotat quasi excussum ננער ex utero materno.

§. IX.

*Pergitur in illustratione Oraculorum.*

Viui certe colores, quibus exprimitur miserri-  
mus hominum status! Ita perspicuus hic locus visus  
est B. Luthero, ut eum in libro de seruo arbitrio *a)*  
quem Erasmi diatribae de libero arbitrio opposuit,  
in frontispicio quasi collocaret. Perstringit oratio  
exulceratissimum hominum, quibus poena diluvii de-  
creta fuit, statum: רבה רעת האדם בארץ Peccata per  
verba quidem haec, atrocissima actualia intelligere  
fas est, eo magis, cum & in repetitione oraculi post  
diluvium Gen. VIII, 21. ea omittantur. At crescit  
oratio, ipsam radicem, ipsam infelicissimam pecca-  
torum vim prolificam inuestigat, atque iam asserit:  
על יצר מחשבות לבו רק רע Nihil inani mali abyssum  
luculentius detegere potuit, nihil molimina animae,  
consilia, propensiones, foetus ut ita dicam eius  
omnes curatius sub se complecti. Hinc & olim lau-  
dabilia quaeque, quae ab homine sibi relicto pro-  
ficisci possunt, *splendida peccata* dicere veritus non  
est Augustinus. Atque B. Lutherus largius suam ex-  
promit sententiam *b)*: „Nos autem, cum de libero  
arbitrio disputamus, quid Theologice valeat, quae-  
rimus, non quid in civilibus & rationi subiectis re-  
bus.

*a)* Vid. Liber de seruo ar-  
bitrio, editus cum annot. a Se-  
bastiano Schmidio. edit. 2. 1707.  
p. 169. quem B. Lutherus in

lectulo emortuali suis omnibus  
scriptis reliquis praetulisse di-  
citur.

*b)* Opp. Latin. Tom. VI. p. 97.



bus. Statuimus autem, quod homo sine Spiritu  
 „S. simpliciter coram Deo sit impius, etiamsi omni-  
 „bus omnium gentilium virtutibus ornatus sit (sicuti  
 „profecto insignia exempla continentiae, liberalita-  
 „tis, amoris in patriam, parentes, liberos, fortitudi-  
 „nis, humanitatis in gentilium historiis extant. Sta-  
 „tuimus quod optimae cogitationes de DEO, de cul-  
 „tu Dei, de voluntate Dei, sint plusquam Cimme-  
 „riacae tenebrae. Nam rationis lumen tantum intelli-  
 „git commoditates corporales. Is est amor concu-  
 „piscendae vitiosus. Exuberans atque semper exun-  
 „dans fons mali porro in oraculo significatur כל הים  
 Nunquam exsiccat, lutulentas semper trudit vn-  
 das. Vnde tot calamitates, vnde stupendi in malo  
 profectus, vnde tempestates affectuum. Atque haec  
 omnia fiunt מעורר. Latet quidem malum in prima  
 aetate & quasi dormit. Vix autem crepusculum in  
 animo exortum est, quaeritur otium, lusus, lasciuia,  
 cupiditates, excutiuntur monita, spernitur disciplina.  
 Fit puerulus:

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper a).  
 Neque vero difficiles erunt vindiciae, si quid contra  
 hunc locum excipiatur. 1) Arguantur Scholastici,  
 loqui textum de mala generatione ante diluuium.  
 Homines nunc esse meliores, saltem aliquos, qui li-  
 bero arbitrio bene vtuntur. At quis euentus inani  
 huic spei & imaginationi respondet? Nonne idem  
 post tot millia hominum diluuiio suffocata vox mise-  
 rantis DEI ingeminat, vbi alloquitur eos, quibus  
 promittit diluuium aquae posthac vniuersale non ven-  
 turum

a) Horatius arte poet. v. 163.



turum esse Gen. VIII, 21.? Nonne absconditissimas cordis latebras יצר מחשבות cum luci exponit Deus, venenum per interiora serpens cunctaque infestans apparet? Quid igitur fiduciae in posteritate? Scilicet illud:

Ætas parentum peior avis tulit  
Nos nequiores, mox daturos  
Progeniem vitiosorem.

Horat. Od. III, 6.

2) Sed forsitan pronitas tantummodo quaedam ad malum hic indigitatur, prouti Latina translatio molliores & delicatiores efficere studet textus formulas? Consentiens ero, si in hac vix numerabili hominum multitudine vel vnus extiterit, qui non fuerit in transuersum raptus. Quae vero ea sit tantum pronitas, quam vicisse & triumphasse de se ad vnum omnes suo exemplo commonstrant, plane ignoro. Ceterum vberius adhuc videas horum oraculorum vindicias apud B. Canzium a). Vnicum tantummodo nostrae Confessionis locum annectere fas est b) „Verbum DEI testatur, hominis naturalis, non renati, „intellectum, cor & voluntatem in rebus diuinis „prorsus non modo a DEO auersa, verum etiam ad „uersus Deum ad omne malum conuersa & penitus „depravata esse. Item hominem non tantum infirmum, imbecillem, ineptum, & ad bonum emortuum, verum etiam per peccatum originis adeo miserabiliter peruersum, veneno peccati infestum & corruptum esse: vt ex ingenio & natura totus sit malus,

a) Compendium Theologiae purioris p. 408. seqq.


b) Solida Declarat. edit. Reichenb. p. 660.

„Ius, Deo rebellis & inimicus, & ad omnia ea, quae  
„DEVS odit, nimium sit potens, viuus, efficax,,

§. X.

*Probatur impotentia hominis plenaria in negotio salutis  
ex 1. Cor. II, 14.*

Sponte fluit ex profunda hac animi humani corruptione impotentia eius in salutis negotio plenaria. Describitur ea in Sacro Códice, iam vocibus metaphorice, per  $\text{לב לבב}$  Ezech. XXXVI, 26. per  $\beta\rho\alpha\delta\upsilon\tau\eta\tau\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha\varsigma$  Luc. XXIV, 15. per  $\pi\acute{\alpha}\rho\omega\sigma\iota\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha\varsigma$  Eph. IV. 18. per  $\sigma\acute{\kappa}\acute{o}\tau\omicron\varsigma$  Eph. V, 8. Quin imo,  $\nu\epsilon\kappa\epsilon\upsilon\omicron\iota\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \pi\alpha\rho\alpha\pi\tau\acute{\omega}\mu\alpha\sigma\iota\ \kappa\alpha\iota\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\varsigma$  in statu naturali homines appellantur. Eph. II, 1. Col. II, 13. &c. Iam vero propriis verbis enuntiatur Pf. LIII, 3. 4. Act. VII, 51. 2. Cor. III, 5. &c. Vnum oraculum loco omnium curatius lustrabo. 1. Cor. II, 14. vbi verba ita habent:  $\Psi\upsilon\chi\acute{\iota}\mu\acute{o}\varsigma\ \delta\grave{\epsilon}\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma\ \acute{\omicron}\nu\ \delta\acute{\epsilon}\chi\epsilon\tau\alpha\iota\ \tau\acute{\alpha}\ \tau\grave{\epsilon}\ \pi\acute{\nu}\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\omicron\varsigma\ \tau\grave{\epsilon}\ \Theta\epsilon\acute{\omicron}\varsigma.$   $\text{Μαγία γὰρ αὐτῶ ἐστὶ καὶ ὄν δυναταὶ γινῶναι.}$  Maxima disputatio est super voce  $\Psi\upsilon\chi\acute{\iota}\mu\acute{o}\varsigma$ . Si omnes colligo sententias, redeunt eae ad haec tria: 1)  $\Psi\upsilon\chi\acute{\iota}\mu\acute{o}\nu\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\upsilon$  eum esse, qui a facultatibus inferioribus abripi se patitur, qui nihil existimet bonum, nisi quod libidini cordis respondeat, qui indulgeat cupiditatibus, prauis inclinationibus, tumultuosis affectibus, & in vetita quaeque ruat. Corruptam hanc rationem esse dicunt, a qua probe distinguenda sit recta ratio, nec his tenebris obfuscata, nec eam in luxuriam atque lasciuam consentiens. 2) Alii intelligunt hominem, qui ex sua ratione sapere velit, qui suis principiis non agnoscat sublimiora, nihilque admittat, nisi cum suis ideis consentaneum, qui spernat quae ex reuelationis sphaera noua ipsi ad scientiam



am salubrem adyta, nouas veritates aperiunt. 3) A-  
 lii denique non fingunt sibi hominem, sed ob ocu-  
 los sistunt talem totum, qualis est, cuius omnes vi-  
 res & facultates a Deo auerfae sunt, qui nullius diui-  
 nioris ex se informationis amans est, nullius verebo-  
 ni, quod certam solidam constantem felicitatem pa-  
 rere possit, appetens. Hanc tuebor sententiam a).  
 Conspirat eadem amicissime cum doctrina Confesso-  
 rum nostrorum, qui ad h. l. sequentia annotant b):  
 „Credimus, quod hominis non renati, intellectus  
 „cor & voluntas in rebus spiritualibus & diuinis ex  
 „propriis naturalibus viribus prorsus nihil intelligere,  
 „credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, per-  
 „ficere, agere, operari aut cooperari possint, sed ho-  
 „mo ad bonum prorsus corruptus & mortuus sit, ita,  
 „vt in hominis natura post lapsum, ante regeneratio-  
 „nem, ne scintillula quidem spiritualium virium re-  
 „liqua manserit aut restet, quibus ille ex se ad Gra-  
 „tiam Dei praeparare se, aut oblatam Gratiam appre-  
 „hendere, aut eius Gratiae (ex sese & perse) capax  
 „esse possit,,

### §. XI.

#### *Contin. examen oraculi.*

Qui de homine, nonnisi quatenus corruptus est,  
 atque facultatibus inferioribus regi se patitur, ora-  
 culum accipiunt, mirifice vrgent vocabulum ψυχικός.  
 In scenam loco omnium producam Clericum, qui  
 hac

a) Nihil attinet, innumeras  
 fere commentationes recense-  
 re, quibus hic locus illustra-  
 tur; quas fere omnes comeme-  
 moratas inuenias tum in Sche-

teligii Bibliotheca disputatio-  
 num, tum in Lilienthalii Ar-  
 chiuario Biblico.

b) Solida Declaratio edit.  
 Rechenb. p. 656.

hac censura perstringit Hammondum a). „Vix cre-  
 „diderim, ait, ψυχικὸν ἄνθρωπον esse hominem, qui  
 „sola ratione utitur, ut vult noster post H. Grotium.  
 „Dicendum enim potius fuisset λογικός. Nam ratio  
 „dicitur λόγος non ψυχή. Sed nec ad rectam ratio-  
 nem, quidquid hic de ψυχικῷ praedicatur, pertinere  
 videtur. Recta enim ratio, quamvis conuersionem  
 non promoueat, ita tamen eidem non repugnat.  
 Non enim rectae rationis veritates pugnare existi-  
 mandae sunt cum theologicis. Verum enimvero dif-  
 ficile non est probare, ψυχικὸν rite posse accipi pro  
 eo, qui sibi relictus, solo suae rationis lumine duci-  
 tur. Ut enim non pronocem ad Oracula Iac. III, 15.  
 Iud. 19. quae itidem in disceptationem solent  
 trahi: in promptu sunt exempla, meam tuentia sen-  
 tentiam. Sic habet Isocrates ad Demonium b):  
 Τα μὲν γὰρ σώματα τοῖς συμμέτροις νόμοις, ἡ δὲ ψυχὴ τοῖς  
 σπεδαιῖοις λόγοις ἀνέξεται δοκεῖ. Prolixè autem patrocini-  
 natur huic sententiae Suidas c). Ψυχικός ἄνθρωπος.  
 „Ἐν ψυχῆς καὶ σώματος ὁ ἄνθρωπος, ὅταν μὲν ἐν πρᾶττει  
 „τὰ τῶν τῶ Θεῷ δοκούντων πνευματικός λέγεται, καὶ ἐκ αὐτοῦ  
 „τῆς ψυχῆς ἰσχυρίζεται, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρας μείζονος τιμῆς, τῆς  
 „ἀπὸ τοῦ πνεύματος ἐνεργείας. Οὐ γὰρ ἀρκεῖ ἡ ψυχὴ εἰς κα-  
 „τόρθωμα, εἰ μὴ ἀπολαύσει τῆς τοῦ πνεύματος βοηθείας.  
 „Ὅσπερ δὲ σαρκικός ἄνθρωπος λέγεται, ὁ τῇ σαρκὶ θελήων, ἔ-  
 „τω ψυχικὸν καλεῖ ὁ Ἀπόστολος, τὸν τοῖς ἀνθρωπίναις λογισ-  
 „μοῖς τὰ πράγματα ἐπιτρέποντα, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος ἐ-  
 „νεργείαν μὴ δεχόμενον. Nec tacere fas est egregium  
 locum, quem ex Ephraim Syro affert B. Bengelius d).

Tss


a) In annot. ad paraphras.  
 Henrici Hammond edit. Am-  
 stelod. 1698. p. 79.

b) Ex Stephani Thesauri

Tom. IV. p. 750.

c) Suidae Lexicon Tom. III.  
 p. 711.

d) Gnomon N. T. p. 628.



Τὴς κατὰ Φύσιν ἀνθρώπους ὁ Ἀπόστολος ψυχικὸς ἐκάλεσε. Τὴς δὲ παρὰ Φύσιν, σαρκικὸς. Οἱ δὲ πνευματικοὶ εἰσιν, οἱ καὶ τὴν Φύσιν εἰς τὸ πνεῦμα μεταρροζόμενοι. Non igitur est contra vim potestatemque vocis, vt de toto homine, qualiscunque, quantuscunque est, citra Spiritum Dei, explicetur *a*). Quid autem praeterea hanc explicationem, ceteris omnibus faciat potiozem, infra erit commemorandum. Rectam insuper rationem in sua sphaera bonam esse, veritates indagare assequi posse, lubens consentio: at cum ad emendationem animi, ad cultum Deo praestandum, ad consecrandas illi propensiones voluntatis res redit, quis vnam, sola illa ductus, ad cynosuram rectae rationis talem sese praestitit? Cuius ratio non inuenta est ferua & prauis cupiditatibus mancipata? Tribui saepe aliquid rationi video, quod ei per abstractionem competere potest, quo vero in exercitio frui nescit.

## §. XII.

### *Continuatio.*

Ex iis, qui per ψυχικὸν ἀνθρώπον innui putant Philosophos, nihil nisi quod ipsorum ratio assequi potest, pro vero reputantes, ad manus mihi est Celeberr. Daniel Whitby, qui hunc in modum infit: *b*) „By „the natural Man, saith Mr. le Cl. is not here me- „ant the Man, that makes Use of nothing but rea- „son; but the Man, that is wholly devoted and en- „slaved to earthly Things, and intirely taken up „with

*a*) Vberiorein horum omnium segetem dabit Polus in Synopsi Criticorum Tom. V. p. 336. 337.

*b*) Paraphrase and Commentary on the New Testament Vol. II. edit. 6. London. 1744. p. 150.

„with the concernments of this Life, like a brute creature. The opposition made here between spiritual and animal Things, saith he, plainly proves, what I have said. Whereas there is not a Word spoken, of ψυχικά, animal Things, in the whole Chapter, but only an Opposition between ψυχικός, the natural or animal, and πνευματικός, spiritual person, whom I shall prove to be a person endued with a spiritual Afflatus, and by that confound his Notion. That the Natural Man here is the Man, who rejects Revelation, and admits of no higher principle to judge of Things by, but Philosophy, and demonstration from the principles of Natural Reason, or in the Words of Porphyry τῆς κατὰ τὸν λογισμὸν παιδῆς ἐυρισκομένης, of persuasion to be found out by a rational deduction, is the express assertion, of Theodoret, St. Chrysostom, Photius, Oecumenius and Theophylact upon the place - - And evident it is to any one who considers the Chain of the Apostle's discourse,, - - . Verissima haec omnia esse sentio, de σοφοῖς enim κατὰ σάρκα, de δυνατοῖς, de ἐυγενέσι, de ἀρχαῖσι τῆ αἰῶνος τέτε supra sermo fuerat Apostolo : hi igitur maxime sub ψυχικῶ ἀνθρώπων veniunt. At neminem tamen vllum, cum ψυχικῶς opponatur πνευματικῶ, excipi posse existimo, qui vel confusus ingenio contra fidei veritates sophismata admittit, vel cum arguator non sit, tamen prauarum cupiditatum minister est, vt adeoque tertia sententia valeat. Ex eadem oppositione demonstrationis suae articulos neçtit incomparabilis B. Moshemius a). Afferit

a) Erklärung des 1. Briefs an die Gemeine zu Corinthus, p. 165.

ferit enim, πνευματικὸν citra omne dubium illum esse, qui a Spiritu S. illuminatus, conuersus atque sanctificatus sit, adiicitque. „Hieraus folget ohngezweifelt, „daß der natürliche Mensch, der diesem Geistlichen entgegen stehet, überhaupt ein Mensch seye, der keine Erleuchtung des Geistes Gottes empfangen hat, der nichts mehr, „als ψυχὴν seine Seele hat, die durch den Fall in allen ihren Kräfteu verborben worden, die blind dem Verstande, „unordentlich dem Willen nach, mit einem Worte ein „Mensch, der wie wir jetzt zu reden pflegen, in dem Stande „der Natur lebet. Atque haec omnia luce clariora adparent ex scopo Apostoli, quem in altera portione Capitis I. totoque II. Cap. exequitur. Cur enim Christus cruci affixus mox σκάνδαλον sit mox μαρτία, cur omnis haec doctrina in cor hominis descendere non possit, eius rationem in eo reperit, quod homo sit ψυχικός, adeoque ad δέξιν Euangelii, ad γνώσιν atque ἀνάμνησιν indigeat ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως V. 4. ἀποκαλύψει διὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου. V. 10.

## §. XIII.

*Reliquae voces Oraculi considerantur.*

Cum de expressione ψυχικός ἄνθρωπος dispexerimus, expositione reliquarum vocum opus est. Omnia autem continentur his tribus. Ψυχικός ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου. Μαρτία αὐτῷ ἐστίν. Οὐ δύναται γνώσιν. Δέχεται δὲ non significat excogitare, prouti quidam mallent. Sermo enim est de veritatibus, non demum inueniendis, sed propositis & praedicatis 1. Cor. I, 17. seqq. 1. Cor. II, 1. Hortatur Jacobus δέξαιθαι τὸν ἔμφυτον λόγον Cap. I, 21. qui certe debuit oblatu esse. Neque δέχεται est assequi plene doctrinas Euangelii, penetrare in indolem ipsam τῶν



τῆ πνεύματος ἀγίας. Quomodo id finita mens sibi sumserit aut persuaserit? Sed nec οὐδέχεται innuit, ne *ideam quidem formare sibi posse* rei propositae. Iusto longius hic quosdam progredi, forsan non iniuria dixeris *a*). Non dedidicit homo, cum oratio ad ipsum fit in lingua nota, vocum significatus, potest videre quid sibi velit oratio, quis ex dicentis mente sensus sit, potest ex regulis hermeneuticis sermonem diiudicare: an vero videat nexum inter istas ideas, an veritatem ex iis oriri posse arguat, diuersa quaestio est. Non diffitetur istud Form. Concordiae, quae habet: *b*) „Etsi Euangelium audire homo, & aliquo modo meditari, atque etiam differere de eo potest; „vt in Pharisaicis & hypocritis est videre: tamen id „tacitis cogitationibus vt rem stultam spernit, ne „que credere potest,„. Atque B. Menzerus talia fatur: *c*) „Si quaeras, possitne homo ex suis viribus „au-

*a*) Subinnuo hic controuersiam, quae Calixtum inter ex vna parte, (recentius huius partes tuente Musaeo) atque ex altera quam maxime inter Calouium & Hulsemannum extitit. Illi hominem propriis viribus ex perspicuitate S. Scripturae posse notitiam acquirere rerum diuinarum siue simplicem apprehensionem, statuebant. Hi sine supernaturali illustratione contingere id negabant posse. Forlan, si distinguatur inter qualemcunque notitiam siue apprehensionem

simplicem, & eam, quae fixam, certam atque indubitatam ideam inferat, & fundamentum sit praebendi propositioni cuiusdam assensus, lis ista amplius momentum non trahet. Conf. Calouii scripta Anti-Sociniana Tom. II. p. 31. Ceterum Vid. S. R. D. Bertlingii deutsche und mit den eigenen Worten Orthodoxyer Theologen ausgefertigte Vorstellung etc. p. 83. seqq.

*b*) Solid. Declaratio p. 662. add. p. 671. p. 681.

*c*) Exegel. Aug. Confess. ad Art. V. p. 235. seqq.

C 2

„audire Euangelium & sacramentis vti? respondet „Sacra Scriptura diferte, hominem ψυχῶν anima- „lem nondum renatum, posse de Deo cogitare Rom. „I, 21. Scripturam legere 2. Cor. III, 14. audire ver- „bum DEI Act. XVII, 20. & quidem ἰδέσθαι, liben- „ter seu cum voluptate, Marc. VI, 20.” Actibus igitur paedagogicis nihil detrahitur, quanquam hos inter atque gratiae praeuenientis, cum prima verbi in- auditiuncula aspersus sis, effectus, designare limites difficile est. Οὐ δέχεται vero indigitat, reperisse sibi videri hominem quasi sonos sine mente, res tradi inter se minus conciliabiles, vnam ideam ex natura alterius explicabilem non esse, omnia precario assumpta, ficta, hiulca esse. Hinc B. Hedingerus: a) “Er kan nichts davon fassen, eben so wenig, als ein Kind einen tiefgeholtten Schluss und Beweis der “Mess- und Stern- Kunst.” Μαγία αὐτῶ ἐστίν. Id ipsum efficitur inde, quoniam οὐ δέχεται. Quod enim hominis cogitationibus consentaneum non est neque arridet, mox ineptum, ridiculum stultum adpellatur. Hoc nomine iam satis dignum videtur, quidquid ex philosophicis per rationem naturalem deductionibus non resultat. Et eodem nomine venire debet, quidquid lasciuientibus & omnem transilientibus lineam cupiditatis patrocinari detrectat. Καὶ οὐ δύναται γινώσκειν. Crescit oratio. Iam est ipsa facultas deficit. Desperata est res. Doctrinam Christi, quantacunque ipsi ἀξιοπιστία, quantacunque insit dulcedo & gratia, nunquam amplectetur homo ψυχῶν. Appri-  
me

a) N. Z. ad h. l.

me hic B. Dilherrus. a) "Ne vero existimes, causam, cur non indocti tantum, sed nec sapientes huius seculi, sapientiam illam assecuti fuerint, non fuisse ex virium defectu, sed ex spontanea malitia, quod viribus, quas naturaliter habuerint, non vfi recte fuerint, en Apostolus - - docet, hominem per lapsum ita esse viribus naturalibus destitutum, vt neque capiat, neque cognoscere possit ea, quae sunt Spiritus DEI." b)

§. XIV.

*Argument. ex oraculis, quae expresse vi supernaturali tribuunt Operationes gratiosas.*

Alia argumentationis ratio ineunda est, quae petitur ex illis oraculis, in quibus qualiscunque contingit in animo hominis bona mutatio, vi diuinae, supernaturali tribuitur. v. gr. Ier. XXXI, 18. Ezech. XXXVI,

a) Disput. Acad. Tom. non. p. 448.

b) *Advancement* hanc nullibi adeo exaggeratam deprehendi quam per Farnsworthium in Journal Britannique Tom. XXII, p. 84. "L'esprit de l'homme, est si borné & tellement obscurci par les tenebres de l'ignorance depuis la chute d'Adam, qu'il n'a aucune idée des substances spirituelles, tant qu'il est dans l'état de la nature corrompue. Il n'admet, que ce,

, qui frappe ses sens, & semblable aux enfans, il n'estime, que ce, qu'il touche, qu'il sent, & qui lui fait plaisir. Parcourons les écrits des anciens Philosophes, des sages de l'antiquité, lisons tous les ouvrages d'Homere, le plus grand homme, que la Grece ait produit, nous ne trouverons nulle part la moindre chose, qui puisse nous faire conjecturer, qu'il ait eu quelque idée d'une substance spirituelle.,



XXXVI, 26 | 27. Matth. XI, 25. vbi Pater dicitur ἀποκαλύψαι ταῦτα (de patre & filio, de regno Coelorum) atque iterum filius v. 27. καὶ ὃ εἰάν βέλῃται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. Docuerat autem & praedicauerat iam antea Christus v. 1. vt appareat, non poni hanc ἀποκάλυψιν in sola κηρύξει. add. Matth. XVI, 17. Porro Ioh. VI, 41. 65. asseritur, fieri non posse, vt quis veniat ad Christum, εἰάν μὴ ὁ πατὴρ ἐκλύσῃ αὐτόν. Ἐάν μὴ ἡ δίδωμενον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρὸς. Quod efficit dulcissima inuitatione, vi flecticordia, mirabili atque ineffabili potestate, virtute amoris sui, quam sensit Petrus v. 68. Neque in eo absoluitur tractus Dei, prouti Sociniani videtur, a) vt fiat docendo & voluntatem suam omnibus per Christum proponendo. Supponit enim Christus hoc dicto euidenciam Scripturarum Cap. V, 39. Supponit propositam clarissime fidei summam Cap. VI, 39. exhortationes, promissiones v. 32. 33. 35. supponit denique indubitata attestacionem miraculorum v. 26. Aderant proinde veritates, demonstrationes, motiua, & tamen praeter haec omnia Christus requirit tractum patris. De quo notatu digna sunt, D. Augustini verba: b) “Non ait, nisi duxerit eum pater, vt illic aliquo modo intelligamus praecedere voluntatem. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum animis operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.”

a) Vid. Moscorouii Catechismus Cap. 6. de baptismo.

b) Tom. VII. Opp. contra

I.  
duas epistolas Pelagii ad Bonifacium L. I. c. 19.

1. Cor. III, 7. non nisi DEVS dicitur ὁ ἀυξάνων, a cuius sola virtute omnis fructus praedicationis oritur. 1. Cor. XII, 3. sigillatim Spiritus S. virtuti adscribitur, vt quis ex solida conuictione Iesum agnoscere possit pro Messia. Atque 1. Cor. II, 14. πνευματικὴ ἀνάλυσις requiritur. add. 1. Petr. I, 23. 2. Petr. I, 3. 4. Hebr. XIII. 21. DEVS NOS συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ. sec. Eph. II, 5. quae vita quid aliud est, quam bonae in illuminato intellectu cogitationes, quam recta voluntas, legi conformes propensiones, ordinati affectus, exercitium virtutum omnium? Est enim oppositum illius status, qui describitur v. 1-3. atque illius, qui pingitur Eph. IV, 18. Quin immo adpellitatur: Αὐτοῦ ποιῆμα κτισθέντες ἐν Χριστῷ. Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς Eph. II, 10. Ex manibus DEI procedit homo conuersus. Ille finxit nouas animi vires, nouas voluntatis propensiones. Hinc quoque additur κτισθέντες. Vnde καινὴ κτίσις 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Differt tamen haec κτίσις ab illa primigenia. a) Substantia adest, sed omnes mutationes ex domestico principio elicitae frugi non sunt. Debent, quae foris sunt, intrare salubres ideae, debent excitari ex principio extrinseco bonae voluntatis propensiones. Nescio an grauitate huius rei commoti Augustinus & Bernhardus asseuerarint; Maius DEI opus esse, ex impio pium facere, quam Coelum & terram creare. Admodum B. Bengelii verba arident: b) Ποιῆμα factura) "Rarum hoc sensu verbum, „cuius

a) Vid. Daniel Rittersdorf. neuen Schöpfung. 1755.  
 Uebereinstimmung der alten und b) Gnomon N. T. ad II. I.

„cuius vim auget κτιδέντες creati, facti ex nihilo spiritali. Alias dicimur regenerari. Nihilum nil operatur. Fideles non solum עם נולד Pf. XXII, 32. „sed etiam עם נברא Pf. CII, 19. „ Certe nec Rabbinii ipsi a se impetrare possunt, quin DEO hic omnia vendicent. Ita enim Kimichius: a) לכן הנה אנכי מפתיה הענין אתן כלבה לשוב בתשובה בעודה בגלות וזה כענין פתוי כי המפתה את חבריו מעבירו מדעתו שהיא בו לדעת אחר כן הקבה מעביר ישראל מדעתם שהו בו בגלות לרדוף אחר התעוה ויצר הרע ויתן בלבם לעזוב הרע. Quod ita transferimus. Quapropter: ולקחה המזוב: ecce ego persuadebo illi. Sensus est: dabo in cor illius, ut reuertatur in poenitentia, cum adhuc est in captiuitate. Hoc autem significat persuasionem, quoniam persuadens alteri abducit eum a sententia sua, quam antea habuerat, ad sententiam aliam. Ita DEVS optimus maximus abducet Israellem a sententia sua quam habuerunt in captiuitate, ut concupiscentiae peruersisque cogitationibus indulgerent, dabitque in cor illorum, ut relinquunt malum & amplectantur bonum. Nolo cumulare amplius dicta, quorum idem probantium ingens datur copia. Vt tamen adhuc distinctius pateat tum in intellectum agens vis supernaturalis, tum in voluntatem, duo vnica non potero praetermittere. Vnde illuminatio animi oriatur, nullibi fere tam ponderosis & expressis verbis extat, quam Eph. I, 17-20. Fons & principium πεφωτισμένων τῶν ὀφθαλμῶν τῆς διανοίας ponitur

a) Kimchi in Hoseam Cap. II, v, 14.

tur πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως. Eius vis porro appellatur ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τὰς πιστεύοντας; atque tandem vna eademque dicitur cum hac, quam ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Ἀποκάλυψις est eadem, de qua supra Matth. XI. 25. 27. qua Spiritus S. plenissimam de Iesu Messia convictionem animo ingenerat, sed & illum omnigenae salutis subinde largiori cognitione imbuat. Ὑπερβάλλον autem μέγεθος potentiae Dei saluificae duplici demonstratur argumento, atque ita spes nostra de hereditate coelesti plene confirmatur. Alterum enim spectatur in nobis fide donandis, & e peccato, in quo mortui eramus, resuscitandis & regenerandis; alterum autem in Christo, capite nostro, quem resuscitavit ex mortuis. Quid mirum, quod vim conuersionis diuinam & supernaturalem ex his luculentissime conspicuam esse verbis, omnes fere vno confiteantur ore? Emendationem denique voluntatis, quoad omnes actus, qui alias solent distingui, Deo acceptam esse ferendam testatur Phil. II, 13. Καὶ τὸ θέλει καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὁ Θεὸς ἐν ἐνεργαῖς ἐν ὑμῖν. Si hoc, nec initium, neque progressus neque consummatio operis est ex nobis. Efficacissimae actioni Dei haec omnia debentur. Nos quidem & volumus & facimus, sed Deus facit, vt & velimus & faciamus, quia acti agimus. Boni in nobis nihil est. Capacitas igitur, vti Theologi loquuntur, deest actiua. Sed nec volumus bonum, tantum abest, vt in istud feramur, vt potius refugiamus, auersemur. Nisus, studium, desiderium a Deo est. Capacitas igitur nobis deest passiuā. „Erraui ad h. l. inquit Augustinus, a) cum  
„dice-

a) Ex Solida declar. p. 664.

D



„dicerem, nostrum esse credere & velle, Dei autem dare credentibus & volentibus facultatem operandi., Non obest, quod antea v. 12. dixerit Apostolus μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. Addit enim v. 13. unde virtus ad operandum petenda sit. Atque eapropter, quoniam res non ad vires nostras redeat, sed ad Gratiam Dei, timendum esse ait, ne Deus Gratiam suam subtrahat. Cum metu enim & sollicitudine versamur in eo, quod ab aliena gratia dependet, ne eam socordia vel ingratitude nostra amittamus. Conf. Polus a). Reliquis Oraculis, quae imperant Conuersionem, ideoque vires in nobis ipsis superstites supponere videri possunt, cum tanta accuratione centies sint excussa, nolumus immorari.

### §. XV.

*Argument. ex crebrius inculcata pro emendatione animi precum necessitate.*

Ex precum quoque necessitate in negotio salutis, quas tantopere commendat S. Scriptura, demonstrationis meae rationem peti posse, nullus dubito. b) Quamuis enim preces illas etiam necessarias existimem, quae pro bonis fiunt, naturae ordine nobis accidentibus: c) diuersa tamen hic obtinet ratio. Non preces commendantur tantummodo pro conseruandis mentis animique viribus, vt nisibus domesticis

ef-

a) Synopsis Criticorum ad h. l. p. 815.

b) Vberius hoc argumentum pertractauit G. W. G. in der Furgen und in dem Worte Gottes

gegründeten Betrachtung über die Kraft des göttlichen Wortes 1757.

c) Vid. Iacobi Solste Gott auch wohl verdienen ic. 1750.



effici aliquid possit; sed commendantur preces pro  
 ingenerandis nouis ideis, nouo intellectus lumine,  
 non ex ipsa substantia per se oriundo, noua volun-  
 tatis propensione, nouo affectuum moderamine. En  
 tibi supplicationes Apostoli Eph. III, 14-18. Col. I,  
 9-12. vbi etiam illis, quibus manifestatum fuerat Eu-  
 angelium v. 8. τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θελήματος τοῦ Θεοῦ preca-  
 tur. add. Phil. I, 9. IV, 6. Explanat haec Form.  
 Concord. a) „Huc referantur etiam omnes sancto-  
 „rum preces, quibus petunt, vt a DEO doce-  
 „antur, illuminentur, sanctificentur. His enim pre-  
 „cibus fatentur, quod ea, quae petunt, suis natu-  
 „ralibus viribus habere nequeant. Et infra. „Post-  
 „quam Deus per Spiritum suum initium in bap-  
 „tismo fecit, atque veram Dei agnitionem & fidem in  
 „cordibus nostris accendit atque operatus est: assidu-  
 „is precibus orandus est, vt per eundem Spiritum,  
 „sua gratia in nobis fidem & coelestia sua dona foue-  
 „re, de die in diem confirmare, & ad finem vsque  
 „conseruare velit. Nisi enim Dominus ipse docto-  
 „ris & praeceptoris officio fungatur, nihil eorum,  
 „quae ipsi grata, nobis autem salutaria sunt, disce-  
 „mus,,. Certe qui persuadere sibi poterunt, se pro-  
 positas veritates virtute propria assequi, assensum  
 illis praebere, certo de iis conuictos esse posse, non  
 existimabunt a Deo gratia ampliori sibi opus esse,  
 quam vt animum ipsis talem conferuet, qualis est,  
 qui satis ex se diiudicare res, iisdemque vel adstipu-  
 lari vel illas repudiare possit. Proinde non mirum,  
 Pelagianos precationem esse superfluum statuiffe.  
 Scri-

a) Solid. declarat. p. 659.

D 2

Scribit enim de illis Augustinus *b)* „destruunt etiam „orationes, quas facit Ecclesia, siue pro infidelibus, „vt conuertantur ad Deum, siue pro fidelibus, vt au- „geatur eis fides, & perseueretur in ea,,. Quod sententiae monstrum, quantopere horreat Ecclesia nostra, tum ex ipsius Confessione Art. III. Catechismi minoris, tum ex precum publicarum formulis, liturgiis, cantilenis ad oculum patet. Si vero precibus opus est pro impetrandis supernaturalibus animi bonis, certe & iis impetratis opus erit gratiarum actione. Hinc praecit Apostolus exemplum 1. Cor. I, 4. 1. Theff. II, 13. gratias agendo, quod receperint λόγον Θεού, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσι. Hinc alios ad idem excitat officium, Col. I, 12. Scilicet gratiae aguntur pro eo, quod ipsi nos non fecimus. Solus Deus εὐλογητὸς Eph. I, 3.

### §. XVI.

*Concluditur Operationes Gratiotas esse miracula.*

Videndum iam est, quomodo notiones Operationum Gratiotarum & miraculi inter se componi possint. Operationes Gratiotae scilicet Conuersio & Sanctificatio fiunt in homine, qui totus quantus quantus est a Deo alienus est, de quo non satis solum est, vt nil nisi peccatum & malitia narrari possit, sed & cuius omne figmentum, omnia consilia, omnia molimina omni die a teneris vnguiculis tantum mala sunt §. VIII. IX. Conuerti & sanctificari debet homo,


*b)* Opp. Tom. VI. de haeribus. c. 88. Tom. VII. contra duas epistol. Pelag. p. 876. 877.

Adde Hulfemannum de Auxil. Gratiae p. 263. 264. & alibi.

mo, qui totus tenebricosus est, mortuus, qui & cum via salutis ipsi monstratur, eam non agnoscit, regiam esse non credit, ad absurda quaeuis ducere sibi persuadet, in diuerticula quaeuis adeoque dilabitur, qui omni plane facultate veram cognoscendi semitam destitutus est. §. X-XIII. Ut vires ad bonum in homine per haec omnia omnes negantur: ita, quicquid mutationis bonae in homine contingit, non vlli creaturae, sed DEO soli, soli eius Spiritui adscribitur. Is illuminat, is ex morte spirituali resuscitat, is creat. Eius fumus *πνευμα*. Is infinitam suam potentiam applicat. Is dat voluntatem & perficit opus §. XIV. Ab eo proinde solo & exoranda haec omnia sunt, illique soli agenda gratiae. §. XV. Efficitur, quandoquidem effectus ex viribus naturae nullo modo explicabiles miracula sunt §. VI. Operationes Gratosas miraculis accenseri debere. a) At cur sicco pede praeterimus experientiam hanc optimam veritatis magistram, cuius testimoniis praecipua conuincendi & aduersariorum scita retundendi vis inest? nonne sentiri debet ex audito lectore verbo Dei suscitata in animis supernaturalis atque miraculosa mutatio, si qua datur? Nonne haec via breuissima erit, recte & sine praecudio de causa nostra iudicandi? Experientiae omnino, vti in cognoscendis rebus physicis, ita & in iis, quae ad animas spectant, summam vim

a) Neque tamen iam dixerim, omnes bonos motus, secundum naturam animae illuminatae & conuersae oriundos noua miracula esse: eos potius cum Perillastri Bilfingero Di-

ucid. p. 224. corollaria adpellauerim primi miraculi, in conuersione praestiti. Nihilofecius manebunt opus Gratiae, non naturae, vtpote ex principio supernaturali fluentes.



vim esse in confesso est. Hinc ad eandem ablegamur, tanquam fortissimum argumentum pro auctoritate S. Scripturae Ioh. VII, 17. Atque non imbecillius argumentum pro *ὑπερβαλλόντι μεγέθει* Gratiae ab illa, modo cum *κανόνι* Scripturae concordet, peti posse, existimandum est. Verum haec experientia secus atque in rebus physicis creberrime fit, vbi plurimum pluribus sensibus subiicitur idem phaenomenon, suppeditat tantummodo argumenta priuata, domestica, non tantam foris, quantam domi gignentia fidem. Ex sensu itaque interno hominem, qui cum antea litasset suis cupiditatibus suo genio, subito mouetur, in priori stadio horret pergere, suam salutem, aeternitatem meditatatur, gratiam agnoscere & venerari certo scio. Neque vllum sine aculeis, ex verbo nunc aliasue audito lecto in sinu, ipso inuito, relictis, discessisse confido. Vbi mirari subit, si res tantummodo ad optimas cognoscendi volendique rationes rediret, non scientissimos & prudentissimos quoque esse optimos Christianos. At vero cum fat ingeniosi plerique sint ad eludendas suis ipsorum animis illapsas de alio vitae genere ineundo, serias cogitationes; quid mirum, quod subnatas eas in aliorum animis, si non pro obscuris, fanaticis, phreneticis, certe pro naturalibus, venditant? Cum cuiusque sit maxime, suum ipsius sinum excutere, & dispicere sibi subortae ideae quales sint; nolo iam longa commentatione exequi, quid exempli gratia eorum valeat hac in re experientia, qui commemorantur Act. II, 37. XVI, 30. &c.


§. XVII.

§. XVII.

*Qua lege Operationes Gratosae, Miracula, sese in animis exerant.*

Verum noua incidit quaestio, qua ratione, quae lege haec miracula gratiosarum Operationum accidant? Non vereor, ne contradictionis reus fiam. Potest aliquis ordo, aliqua lex arbitraria in miraculis obseruari, quin desinant esse talia. Moses instrumentum, vt aiunt philosophi, miraculorum morale, extendere solebat ex iussu DEI, suum baculum, & fiebant miracula. Exod. VII-XII. Ipse Christus in edendis suis miraculis diuersas adhibebat rationes. Idem instruebat Apostolos, quomodo in ipsius nomine varia patrare possent miracula. Marc. XVI, 17. conf. Act. XVI, 18. Nolo hic tertia comparationum ultra suos terminos accipi. Operationum gratiosarum miraculi DEVS intimam cum verbo suo reuelato stabiliiuit coniunctionem. Verbum DEI, cuius quidem reuelatio pariter omnino miraculum est, fatentibus omnibus, si ex se solum consideraretur, contineret veritates, rigorosissime probatas & demonstratas, complecteretur rationes flectendae voluntatis lectissimas & quam maxime stringentes atque vrgentes, quippe excellentius hoc in ipso genere omni humano verbo, vi persuadendi atque mouendi instructissimo. At quid istae prodesse occoecato & Cimmeriis tenebris involuto intellectui? quid hae peruicacissimae & in alia omnia lapsae voluntati? Addit rationem Hulfemannus: a) "Ea, quae in verbo DEI „continentur, ratione materiae pleraque talia sunt, „vt humanae rationi, qualis post lapsum est, videan-  
„tur

a) Auxil. Gratiae. p. 179.




„tur absurda & incredibilia. 1. Cor. II, 14. non ra-  
 „tione inuentionis, quando deest doctrina siue moti-  
 „ua: vt Volker l. 5. de rebus cap. 20. & alii expo-  
 „nunt: sed etiam quando actu iam praedicantur, &  
 „notitia rei iam imbibita est.” Addidit ergo DEVS  
 suo verbo diuinam, infinitam vim, arctissimo & in-  
 dissolubili vinculo cum ipso connexam, qua in ani-  
 mum, spississimis obuolutum tenebris, lucifugum,  
 immittat luminis radios, quaque in omnia alia niten-  
 tem voluntatem retrahat, suisque praeceptis pa-  
 rentem efficiat, Non agit ita contra naturam mentis  
 humanae, sed agit supra eam. Implantat enim per  
 verbum, ista vi supernaturali Spiritus S. foecundum,  
 ideas firmas certas assensui inseruituras, atque exin-  
 de plenissimam conuictionem gignit, quam homo ex  
 proposita etiam veritate, suis viribus nunquam im-  
 petrasset. Pariter ingenerat hac supernaturali ratio-  
 ne bonas propensiones, quas homo etiam proposita,  
 in quam ferri debebant, felicitate, nunquam ex se  
 elicuisset. Distinctis sibi hanc rem ideis concipit Ba-  
 ierus: “Nempe conceptus per reuelationis actum o-  
 „lim in Sacrorum Scriptorum intellectu producti,  
 „verbis Scripturae adhuc hodie comprehensi extant,  
 „& per verba Scripturae, siue docentium voce, siue  
 „Scripturarum lectione, ad nostrum intellectum trans-  
 „missa hodie in nobis similiter producuntur, mouent-  
 „que intellectum in assensum supernaturalem depen-  
 „dentiae suae a DEO.” a) Si proinde quaeratur,  
 qualis sit ea vis, quae verbo diuino inest? Asserere  
 non dubitamus, *moralem* esse, sed *supernaturalem*,  
 quae discutiat tenebras intellectus, nouoque lumine  
 eum

a) Baieri Compend. Theol. p. 104. 3

eum collustret, quaeque mancipationis vinculis exsoluat voluntatem, atque pronitatem, lubentiam in ea producat. "Ita ordinata est gratiae virtus a DEO „inquit Lyferus a) vt non simpliciter per modum „physicum agat, verum per eiusmodi infinitam agendi potentiam, quae in suafione cui resisti potest, contineatur." Veruntamen demonstratu opus est, vim supernaturalem Spiritus S. cum verbo coniunctam esse. En! qui verbo dicuntur resistere, iidem operanti per illud Spiritui S. refragari asseruntur. Act. VII, 51. Paulus dicit se praedicasse *ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως*. 1. Cor. II, 4. 5. add. 1. Theff. I, 5. *Τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν ἐγενήθη ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ.* Est vero *ἀπόδειξις* 1. Cor. II, 4. eiusdem Spiritus, per quem DEVS tam sublimia manifestauit v. 9. qui *ἐρευνᾷ τὰ βάθη τῆ Θεοῦ*. Quis est, qui largiatur vt veniamus ad DEVM, nisi DEVS ipse, Ioh. VI, 56? Largitur autem istud per *ἔηματα ζωῆς αἰωνίου* v. 68. Quis est, qui aperuerit Lydiae cor *προσέχειν τοῖς καλεμένοις ὑπὸ τῆ Παύλου*, nisi Dominus. Act. XVI, 14? Quaeenam est *ἡ μάχηται τῆ πνεύματος*, nisi *ἔημα Θεῦ* Eph. VI, 17. &c. Hinc formul. Concord. b) "Huic verbo „adest praefens Spiritus S., & corda hominum aperit, vt sicut Lydia in Actis Apostolicis diligenter „attendant, & ita conuertantur sola gratia & virtute Spiritus S., cuius vnus & solius opus est hominis „Conuersio." Diximus autem, intime connexam esse hanc virtutem supernaturalem cum verbo reuelato. Eapropter iam & ipsum verbum dicitur *δύναμις* Rom. I, 16. conf. 1. Cor. I, 18. Scilicet Euangelium visita-

a) Vid. Wilh. Lyferi systema b) Epitome Artic. p. 580.  
Thetico-Exegeticum p. 1105.

E



vſitata metonymia, eſt organum aut medium potens,  
 per quod DEVS ſuam potentiam in credentibus ad  
 ſalutem adducendis & conſeruandis exerit. a) Vel  
 & abſtractum ponitur pro concreto, non ſine inſi-  
 gni emphafi; ita vt Euangelium dicatur potentia h. e.  
 potens & efficax inſigniter ad conuerſionem & ſalva-  
 tionem hominum. Quod enim haec potentia non  
 ſit tantummodo ſignificatiua, ex vi idearum harmo-  
 nicarum orta, pondere tantum & neruo argumen-  
 torum nixa, qualem ethnicorum quoque philoſophe-  
 mata continent, ſed quod potius ſubiectiue efficax  
 ſit, ex ſupra demonſtratis per ſe ſequitur. b) Atque  
 denique verbum Dei ſemen appellatur incorruptibile  
 1. Petr. I, 23. Ἀναγεγεννημένοι οὐκ ἐκ ſπορῶν Φθαρτῆς,  
 ἀλλὰ ἀφθάρτου, διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶ-  
 να. Qua re viſ ſupernaturalis indiuiſſo & indiſſolu-  
 bili nexu cum verbo coniuncta eique plane inſita in-  
 dicatur. Ζῶντος καὶ μένοντος conſtruitur cum verbum.  
 9f. v. 25. add. Hebr. IV, 12. "Euangelium fert fru-  
 ctus incorruptibiles, non opera mortua; quia ipſum  
 „eſt incorruptibile. Verbum viuens, plenum virtu-  
 „tis. „ c) Semen habet in ſe virtutem herbam pro-  
 trudendi, quae creſcit, ariſtam ſpicam & denique  
 fructum fert, atque eam vim continet, etiamſi ſemi-  
 natum non eſt: atque ita verbum vi ſua ſupernatura-  
 li armatum & animatum eſt, licet factio ipſo non ſit  
 praedicatum & a nemine perceptum. Ex quibus om-  
 nibus conſtat, Operationum gratioſarum miracu-  
 la exiſtere, per virtutem DEI, ſigillatim Spiritus S.,  
 super-

a) Glaſſii Philol. Sacr. L. V.  
 Tract. I. p. 25. Iterumque Gram-  
 mat. S. Tract. I. Can. VII. p. 395.

b) Vid. Wellerus Annot. in  
 epistol. ad Rom. Cap. I. p. 171.

c) Bengel Gnomon N. T. ad h. l.



supernaturalem, quae verbo veritatis, omni argumentorum pondere & motiuorum momentis instructo in prima ipsius patefactione alligata hominem excitat ad attentionem, intensiores reddit vires intellectus ad percipiendas notiones, propositiones & vim argumentorum, certitudinem & conuictionem producit, cogitationum spiritualium durationem conseruat, vim sensualium aliarumque repraesentationum deprimit, *πληροφορίαν* istam animi & *πεποιθήσιν* creat, voluntatemque ad normam motiuorum, ad quae se naturaliter non accommodat, flectit. a)

§. XVIII.

*Corroboratur §. XVII. enunciata thesis Theologorum testimoniis.*

Ita sententiam tueor grauissimis Theologorum nostrorum testimoniis fultam. Proferam eorum aliqua. Form. Concord. haec tradit: b) Vt fidem „consequamur, institutum est ministerium docendi „Euangelii & porrigendi sacramenta. Nam per verbum & sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus S. qui fidem efficit; atque iterum: per „hoc medium s. instrumentum, praedicationem nimirum & auditionem verbi DEVS operatur, emollit corda nostra, trahitque hominem. „ &c. Lutherus

a) Lux his omnibus vberior adfunditur ex V. S. R. Georg. Henrici Riebouii gründlichem Beweis, daß die geoffenbahrte Religion nicht könne aus der

Bernunft erwiesen werden.

b) Aug. Confess. Art. V. p. 10. II. Solid. declar. p. 671. Epitome articul. p. 579. &c.

therus a) hunc in modum grauiſſime: Aperuit ipsis omnem Scripturam. „Darum ist die Schrift ein solch „Buch darzu gehdret nicht allein Lehrer und Prediger, sondern auch der rechte Ausleger, die Offenbahrung des Heil. „Geistes.“ Hulsemannus vero quot non locis propugnat veritatem? Quantam nubem testium non cogit Bertlingius? b) Illustri Moshemius adhuc sententiam dicat: c) „Wir wissen eben so gewiß aus der „Erfahrung, als aus der Schrift, daß ein natürlicher „Mensch die Lehren des Geistes Gottes weder vernehme, „noch zu seiner Bekehrung anwenden könne. Wie werden sie ihn dann allein und vor sich aus seinem Verderben „erretten können? Allein die allermeisten Christen sind „darinn einig, daß sich zu der göttlichen Wahrheit eine „fremde, ein göttliche Krafft gesellen müsse, wo sie die „finstere und widerspenstige Natur entkräften und wider- „gebahren solle. Der Herr belebet auf eine unbegreifliche „Weise seine Wahrheit, die uns bekehren muß, und gibt „ihr das Feuer, dessen sie zu der Erleuchtung und Reinigung so geschwächter und verfallener Geister, als die sind, „die in unsern Leibern wohnen, bedarf.“ Ponderosissima omnino sunt, quae sequuntur: sed nolo tota exscribere. Nihil certe clarius & praestantius hoc efato exoptare potui!

## §. XIX.

a) Kirchen-Postill über das Evangelium am II. Oster-Tag.

b) Orthodoxer Theologen ausgefertigte Vorstellung u. quem

librum Lexici vices subituro lectoribus insinuat. S. Vorrede.

c) Sittenlehre 2ter Th. p. 37. seqq.

## §. XIX.

*Annon Operationes Gratiōsae etiam sine hac lege se  
exerant?*

Vnicum restat, quod quaeri possit, an Operationum gratiosarum miracula nonnisi supra memorata ratione atque lege eueniant? Si de facto quaeratur, equidem nullum exemplum adducere possum: firmiter itaque tenendum esse existimo, nonnisi verbum suum constituisse Deum medium Conuersionis. Rom. X, 17. 18. a) Si prouocetur ad exemplum Pauli Act. IX, 5. ibi praeconem quidem plane extraordinarium, non autem Gratiam inuenio sine verbo operatam fuisse. conf. v. 6. 17. seqq. Quaestio tamen si moueatur de eo, quid fieri possit, negari non debere existimem, posse Deum, si velit, immediate in animos hominum agere. Quid tamen, circa infantes non baptizatos, in quos sententiam grauem ferre nefas est, statuendum, quid circa *βεβήσος* Iohannem, qui in vtero Spiritu S. plenus fuit Luc. I, 15. & ad salutationem Mariae exiliit *ἐν ἀγαλλιάσει* v. 44. profunde ignoro.

## §. XX.

*Historia oppositarum thesium succincta datur.*

Si quis plenam, quid existimatum fuerit de Operationibus Gratiōsis, enarrationem dare vellet, quanto is mari immergeretur, quantis Scholasticorum inprimis molibus premeretur. Breues tantummodo stricturas inpraesentiarum exhibere animus est, vt appareat, quomodo oppositae sententiae vtrinque euagentur, nostra autem in medio, veritati propria  
sta-

a) Hulfemannus hanc in rem 5 medios terminos affert, p. 168.



statione, se contineat. Ad classes reuocanti sententiarum diuortia tres occurrunt. Ex aliorum systemate Operationes Gratiolae adpellari miracula nullo respectu possunt *a*). Aliorum systema exposcit, vt dicantur miracula, at sine vlla lege, sine vlllo ordine, per nullum medium siue instrumentum accidentia. Tertium systema dignas esse tuetur Operationes Gratiae miraculorum nomine, sed quae per verbum Dei, virtute factum supernaturali, eueniant: quod meum, quod nostrum est. Quotquot libero arbitrio in rebus salutis plus iusto tribuunt, & quot non sunt? sub prima classe comprehenduntur: Pelagiani, Semi-pelagiani, Synergistae, Sociniani, Arminiani & quot non Scholasticorum sectae, & quot non ex omni genere singuli? De horum aliquibus.

### §. XXI.

#### *Pelagianorum sententia.*

Vel tribus exponenda est Pelagianorum sententia, quam callide tot inuoluunt acquiuocationibus. Testificante, qui Pelagii dogmata omnium diligentissimus excussit, Augustino, *b*) ipse Pelagius in litteris ad Papam Innocentium haec dicit esse, de quibus eum homines infamare conentur: Vnum, quod neget paruulis baptismi sacramentum, & absque redemptione Christi aliquibus regna Coelorum promittat. Aliud, quod ita dicat posse hominem vitare peccatum, vt Dei excludat auxilium & in tantum libero

*a*) Non id videri volo afferere, quasi occurrat in his systematibus miraculi vox; de eo tantum disputo, an eius idea

pro systematum ratione Operationibus Gratiolis conueniat, nec ne?

*b*) Opp. Tom. VII. p. 788.

bero confidat arbitrio, vt gratiae repudiet adiutorium. Nimirum, quod huius inprimis est loci, cum inter disputationes cum Manichaeis longius iusto dilaberetur, exaggeratisque mirum in modum humanis viribus tandem peccatum originale penitus cum omnibus exinde fluentibus consecrariis negaret, teste Vossio, *a)* non potuit non de Gratia iniquius sentire. Hinc idem Vossius totum Pelagii Systema ita delineat. „Nempe illud credebat Pelagius: Voluntatem „nostram vel solis viribus suis eligere bonum posse, „quod vellet; vel si diuino auxilio indigeret, putabat illud ex lege quam Deus semel sibi & naturae „statuisset, omnibus omni tempore aequaliter esse „paratum, ita vt diuinus ille concursus penitus in „nra sit potestate; eoque non diuina, sed propriaregamur voluntate, nec in electione boni a Deo, sed „a nobis ipsis pendeamus: & hoc nisi fateamur, tolli „aiebat arbitrii libertatem, „ *b)* Quapropter & approbat Henricum Benedictinum Antisiodorenses in vita S. Germani de Pelagii errore canentem:


Quod satis ad propriam possit conferre salutem

Arbitra libertas, etiamsi gratia desit.

Gratiam quidem, siue auxilium & ipse & eius sectatores, in quibus Coelestius eminent, frequenter in ore gerunt, at quiduis aliud sub ea intelligunt. Ecce, inquit Pelagius, epistola ista (ad Papam Innocentium) me purget, in qua pure atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum

*a)* Vid. Gerard. Ioh. Vossii *hist. Pelag.* L. II, P. II. Thef. I. P. II. p. 452. & P. III. p. 472.  
*b)* Vid. idem Vossius *disput.* *de necessitate Gratiae.*





rum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino semper adiuuatur auxilio. Quibus caute subiungit Augustinus: quaerimus adhuc, quo auxilio liberum adiuuari dicat arbitrium, ne forte sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam. l. c. Idem subinde in aliis quoque locis ingeminare debet Augustinus. v. gr. p. 782. Sed & ipsae facultates naturales latent quandoque sub titulo Gratiae, quam Pelagiani celebrant. Quin ad locum Phil. II, 13. distinguit Pelagius possibilitatem, voluntatem, actionem: nec voluntatem autem, nec actionem diuino adiuuari auxilio credit, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo. a) Iam videntur velle cum veritate in gratiam redire. Etenim requirunt alio loco praeter reuelationem ex parte Dei, & praeter capacitatem ex parte rationis humanae, aliquid in homine superadditum naturae, nempe communem quandam Gratiam. At quis haec omnia ferat verba, ne dicam sensum, siquidem sub Gratia communi sibi fingunt rationes plausibiles, suasiones congruas. b) Taedet omnes colligere detorsiones. Ad nauseam enim ex citatis patet, gloriam Operationum Gratosarum, cui soli debetur, Spiritui S. eripi, & dummodo adsit reuelatio, suis omnia hominem venditari conatibus praestare. Ceterum an Pelagius ipse ad frugem redierit, disputantem vide, qua solet, eruditionis copia, B. Weissmannum c).

## §. XXII.

a) Opp. Aug. Tom. VII. contra Pelag. & Coelest. de gratia l. I. cap. V.

p. 247.

b) Hulfemannus de Aux. Gr.

c) Introd. in Memorab. Eccles. Histor. sac. N. T. p. 492.

§. XXII.

*Sententia Arminianorum.*


Socinianorum nolo separatim mentionem iniicere, qui propemodum manifestius, quam Pelagiani contra grassari audent. Non erubescunt enim asseuerare, dogma Euangelicorum, secundum quod hominis arbitrium, in iis, quae ad aeternam salutem pertinent, nullam libertatem habeat, eiusmodi esse, vt ipsum per se omnem religionem ac pietatem perfundare possit. *a)* Gratiam autem & Spiritum S. cum etiam nominant: quo non delabuntur? Quam iciuna haec sunt? Euangelium dici Spiritum sanctum, quod cum Spiritu hominis eius doctrinae conueniant, vel quod a Spiritu S. reuelatum sit, vel quod spiritualia praecepta & promissiones tradat, vel quod Spiritum obsignationis fidelibus promittat. Arminiani non videntur omnes eodem diiudicari modo posse. Admirabilis est locus Limborchii: *b)* „Interna vocatio non est virtus Spiritus seorsim operans a verbo, sed per verbum, & verbo semper inest, adeo, vt reuera vna eademque sit vocatio, sed quae secundum diuersos respectus vocetur interna atque externa: quia enim Spiritus nunquam operatur absque verbo, neque verbum vnquam destitutum est Spiritu, hinc, qui verbo vocantur, etiam Spiritu, quantum ad conuersionem & fidem sufficit, donantur.” Plura suppeterent, aequae praeclare dicta. *c)* Interim  
fi

*a)* Catechism. Racov. Cap. X. de officio Christi Prophet.

*b)* ex Bertlingii Orthodoxyer Theologen ausgefertigter Vor-

stellung. p. 181.

*c)* Hinc S. R. D. Schubertus eos dispefcit in puriores & impuriores, Ad horum classificationem



si in finem introspeciamus Arminianorum, tamen triumphum concedent, non gratiae, sed viribus liberi arbitrii. Sufficere enim ad salutem alibi exponunt, declarationem voluntatis diuinae, quid fieri aut omitti debeat, promissionem praemii, & comminationem poenae, peccati cupiditatem & virtutis praestantiam. His, inquiunt, solis repraesentationibus voluntas flecti potest in bonum, ideoque emendari & sanctificari. *a)* Cumque de iustificatione per fidem verba faciunt, quid aliud per eam intelligunt, nisi solum obsequium erga mandata DEI Confess. Cap. XI. §. 2. Tandem & ipse Limborchius sua praeclare dicta resorbens ait: *b)* „Spiritus „actionem non aliam esse, quam sensus percepti validiorem in mente impressionem, qua de officio suo „& magnitudine ac certitudine diuinorum promissorum plenius persuasus homo, excitetur ad fidem & „sanctimoniae studium.” Ex quibus, vt multa alia in Zeltnero facillime reperiunda, taceamus, non iniuria colligitur, hac quoque in doctrina, Arminianorum certe plurimos in castra Socinianorum, gratiam supernaturalem negantium, transiisse.

### §. -XXIII.

#### *Sententia Paionii.*

Dixi supra §. XX. ex omni genere singulos esse, qui viribus naturalibus plus iusto tribuant. Vnum proferam, quouis eruditionis genere celebratissimum virum

fem ipsum Arminium referendum non esse iudicat, Disp. de virtute verbi diuini physica an morali § p. 30.

*a)* Vid. Confessio Remonstrant. Cap. VI. §. 2.

*b)* Theologia christiana L. IV. C. XX. §. IV.




virum Claudium Paonium, Reformatum. Is vero periculum Enthufiasmi, (a quo certe hoc in articulo Reformatorum quidam non fatis sibi cauerunt) fe in alterum hoc extremum deducere paffus est. Aiebat enim operationem illam Spiritus S. internam referre reuelationem quandam extraordinariam, vifionem, Spiritum enthufiasticum, fanaticum, priuatum, nobis a Pontificiis obiectum, qui fit vnicique principium & norma fidei. *a*) Qua de re B. D. Weifsmannus veriffime iudicat: ftudium praetextumque vitandi Enthufiasmum (sub quo nomine multi, quidquid diuinum, fupernaturale, internum est, ferali & intolerabili paralogismo foieant comprehendere) innumera ingenia praecipitare foie in frigidos & petulantes excessus rationis fuperbae & coecae. *b*) Quae autem Paonio de Operationibus gratiofis fententia federit, cum ipfe peculiari libro non explicuerit, aliunde petendum erit. Nolo exfcribere ea, quae B. Weifsmannus ex Iuriaeo & Spanhemio pro illuftranda ipfius fententia adduxit, quae tradit Celeberr. Walchius, quae exhibet Illuftris Schubertus, quaeque annotat ad hunc S. R. Bertlingius. *a*) Sufficiat momenta

*a*) Vid. Spanhemii Elench. Controv. p. 326.

*b*) Hiftor. Ecclef. P. post. p. 724. Conf. fententiam Leydeckeri de S. Script. authorit. ad confeientiam adftuenda. Cap. VIII, p. 159.

*c*) Vid. Weifsmanni Hiftor. Ecclef. P. post. p. 724. Walchii Einleitung in die Religions-

Strittigk. aufer der Evangel. Lutherifchen Kirche. III. Th. p. 896. Moshemius Inftitut. Hiftor. Chriftian. Recent. Sec. XVII. p. 638. Schuberts Bedenken von dem Paionismus, herausgegeben und mit nöthigen Anmerkungen verfehen von dem Verfaffer des Helmiſt. Pfingft-Programma vom Jahr 1752.



ta huc pertinentia paucis complecti: „Peccatum ori-  
 „ginale consistit in malis cogitationibus, erroribus &  
 „præiudiciis. Hinc malæ oriuntur propensiones.  
 „Tolluntur peruerse cogitationes ac errores per so-  
 „lidas demonstrationes, quas offert reuelatio, &  
 „per quas absque vlllo alio auxilio conuictionem ple-  
 „nam præstare potest. Tolluntur malæ propensio-  
 „nes per istam conuictionem intellectus, quæ pon-  
 „derosissimas in se ipsa complectitur volendi ratio-  
 „nes. „ Quis non videt Conuersionis & Sanctificatio-  
 nis causas supponi naturales, si modo Verbum DEI  
 argumenta atque motiua suppeditauerit? Gratia igitur  
 erit hæc, vt Spiritus S. salutem ostendat, non  
 vero efficiat. Huic sine dubio ad latus adiungi po-  
 terit Iacobus Fosterus, verbi diuini apud Mennonitas  
 Londinenses minister. Etenim S. R. Bertlingius per-  
 hibet: a) eum docere in sermonibus suis sacris Ope-  
 rationes Spiritus siue Gratiae plane conformes esse  
 nostrae naturae, & in nos non alium influxum ha-  
 bere, nisi moralem. Omnem deuotionem a cogni-  
 tione deriuandam esse. Fructus Spiritus, quos do-  
 cemus, plane contrarios esse naturae humanae, & pla-  
 ne non compossibiles cum tranquillitate hominis ne-  
 cessaria ad id, vt libere peragatur virtus. Motus  
 interiores & subitos posse esse mere mechanicos, nec  
 aliquem certum esse posse, eos a Deo venire.

#### §. XXIV.

*Rathmanni sententia.*

Quorum systema expolcit, vt Operationes gra-  
 tiosae dicantur miracula, at sine vlla lege per nul-  
 lum

a) Vid. Spiritus *κατακριτικόν* Neue Theologische Nachrichten  
 in omni opere bono, p. 15. add. ten 54. St. p. 339. seqq.

lum medium siue instrumentum accidentia, ii sunt omnis generis Enthusiastae & Fanatici. Quos ita describit Form. Concord. a) „quod sint Spiritus, qui „iactitant, se ante verbum & sine verbo Spiritum habere, & ideo Scripturam siue vocale verbum iudicant, cant flectunt & reflectunt pro libito.” Quid contra horum belligeremus cerebri partus? Rathmanni sententia intacta plane relinqui nequit. Cum meum iam non sit, ipsa eius voluere & reuoluere scripta, allegabo tantummodo, quarum rerum fuerit accusatus. Qui seueriorem in ipsum sententiam dicunt, asserunt, eum Scripturam pro mercuriali tantummodo quadam statua, pro litera mortua habuisse; pro qua imputatione Musaeus b) verba eius ex Theologorum Wittebergensium censura allegat: „Was uns zu Gott führet, befehret, heiliget, reiniget, befehliget, das muß in die Seele kommen und aufgenommen werden. Nun aber kommt die Heilige Schrift, so ferne sie in Buchstaben verfaßet und verzeichnet ist, nicht in die Seele, aber die Erleuchtung und der Geist ereignet sich in der Seele,„ Ita videtur omnino supernaturalis verbi, Spiritu S. animati, vis euerti potius quam adstrui. Qui vero mitius de eo sentiunt, in hoc potissimum aberrasse illum contendunt, quasi verbum diuinum in vsu tantummodo non extra vsu coniunctum sibi habeat Spiritum Sanctum c). Quod nec ipsum errore vacuum est, cum interna sit verbo Spiritus S. vis Rom. I, 16, nunquam ab illo separatim agens

a) Articuli Christianae doctrinae p. 331.

b) Musaei Introduct. p. 571.

c) Vid. Moshemii Sitten-

lehre 2ter Th. p. 79. seqq. Weismanni Histor. Eccl. P. posterior p. 993.





agens Rom. X, 17. 18. semper illud etiam extra vsum animans atque foecundans 1. Petr. I, 23. a).

§. XXV.

*Dubia quaedam expenduntur & refutantur.*

1. *dubium.*

At quid iam egi meae thesios defensione? Hoc scilicet, vt superbae rationi nouum offendiculum praebuerim, vt Tindalis, Woolstonis & quibus non? nouam cauillandi materiam suppeditauerim, miracula multiplicando in infinitum. Quomodo tam incredibilis miraculorum multitudo cum sapientia diuina conciliari potest? Nonne satius fuisset, si tamen aliquid hac de re dici debuit, tueri receptam loquendi rationem, qua Operationes Gratiolae *supernaturales* dicuntur? Nonne noui omnes termini in Theologia sollicitate cauendi sunt, ne inutilibus disputationibus, quibus simplicitas doctrinae sanctioris magis inuol-

a) Nuperrime admodum exortam inter eruditissimos Viros, S. R. D. Ioannem Ernestum Schubertum, Helmstadiensem, & S. R. D. Ernestum Augustum Bertlingium, nunc Dantiscanum, de efficacia verbi diuini controuersiam, cum quaestione mea, quales sint operationes gratiolae, intimam habere connexionem indubium est. Fruitus sum vtriusque scriptis: cetera me non tangere ratus. Quo ordinis prodierint hos inter Viros

amoebaea, addisci potest ex ipso Illustri Schuberto, Erörterung der Streit-Frage von der göttlichen Kraft der Heil. Schrifft p. 40. seqq. atque Celeberr. Christiano Guil. Franc. Walchio, in Compendio Historiae Eccles. recentissimae, p. 404. seqq. Quaestionem eam hac in controuersia, praecipuam esse existimem, qua disquiritur: an formale verbi sit ipsa eius vis diuina, nec ne? Vid. Bedensfen von dem Paionismus p. 82.

uoluitur, tot exemplis rem loquentibus, quam explicatur, adaperiatur porta? Partium studium tenuisse opponendo mihi ipsi videri certe non possum. Quid igitur? Quo modo ex his difficultatibus extricabo? Quicquid hostes veritatis obuertant, tamen est dicenda veritas. Accidit etiam, vt nouis verbis efferenda sit veritas, minime tamen nouum sensum fundentibus, sicubi vsitatae antea locutiones veli instar fuerint quibusdam, quod suis minus probatis sententiis obtenderent. Ita Operationes Gratiolas supernaturales esse admissum est a multis, qui tamen improbatas nostris Theologis cum hac voce combinabant sententias. Reperias in hac commentatione huius rei vestigia. Cauillentur itaque quotquot non nisi superba sua ratione sapere volunt. Qui dubitandi rationes sibi suppetere existimant, an vnquam miraculum aliquod extiterit *a)* per frigidas argutias illustrissima, quae S. Scriptura commemorat, miracula eneruare studentes, iis nescio, quomodo amplior suae profanitatis ratio subministrari possit. Quamuis Apostolus nosset, scandalo esse & pro stultitia reputari suum de Iesu cruci affixo Euangelium: tamen eo magis institit, atque praedicationem suam non ex regulis humanae sapientiae metiendam esse, sed in ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως consistere corroborauit. Quid autem per multitudinem miraculorum sapientiae Dei decedat, coniecere non possum. Miracula quidem in se non opponuntur ei, quod ordina-

*a)* Vid. Vernunftmäßige Betrachtung der übernatürlichen Begebenheiten, von einem Freunde der Wahrheit. Amsterdam im Verlag des Verfassers 1743.



dinarium est frequens consuetum, sed ei quod per vires naturales praestari potest. Sapientia autem Dei media, per quae fines optimi produci possint, convenientissima eligit. Iam si indoles humani animi penitus corrupta est, & sub peccatum quasi vendita, prouti supra ostensum fuit, qua ratione quaeso nisi medio supernaturali adeoque miraculosa virtute animato, DEVS illi bonas cogitationes, bonas propensiones implantare poterit? Non plus video operae impendi, quam finis impetrandus requirit. Non minus video prouidentiae a principio adhibitum, quam creatura ratione praedita, adeoque libera, per sui naturam patitur. Certum est, Sapientiam Dei, quae vias actionis breuissimas semper eligit, refuge-re miracula, vbi necessaria non sunt. At nisi, nostra in quaestione, aduersarius convincere me poterit, tantum homini lapsio & deprauato, qualis est, suppetere virium, vt ipse proposita voluntate Dei ad DEVM redire, eum amare, eius voluntatem animitus sequi possit (quod supra refutau): petitionem quaestionis aut vsque faciet, aut tandem in Conuerfionis miracula consentiet. Aliter esset enuntiandum, si de rebus creatis, ratione destitutis, sermo esset. Verum nec in mundo corporeo fit vllum miraculum, quin eius fines pertineant ad regnum Gratiae. Neque denique a recepta loquendi ratione plane recessi. Quaesii supra cur supernaturalibus animorum mutationibus, quae ex illorum indole atque natura non fluunt, competere non possit nomen miraculi? Suppetunt vero praeter allegatas a principio adhuc aliae auctoritates. Obbarius, ait

a)

a) in regno Gratiae omnia fieri per miracula, quoniam DEVS in illo supernaturaliter omnia operetur. Atque Celeberr. Iohannes Frid. Stapferus, miraculum inquit, necessarium est, si homo a naturali sua & profundissima corruptione liberari debeat. Quod DEVS praestare solus potest. b)


§. XXVI.

*Uterius vrgetur dubium.*

Miraculum tamen vnumquodque *immediate*, certe sine vllis caussis secundis, fieri debere nonnulli aiunt. Non itaque horum ex sententia Operationes Gratosae erunt miracula, cum alligata sint verbo reuelato, atque vnice per illud sese exserant. Non existimem me huic succubiturum dubio. Media quaedam siue instrumenta, per quae edita sunt miracula, iam supra indicaui §. XVII. quorum numerum augere nolo. Causae autem secundae omnino producant aliquem effectum, sed dispiciendum est, qualis sit. Viduae Zarpathensi resisterat paucillum farinae atque olei 1. Reg. XVII, 10-16. insigni grassante annonae caritate atque fame. Habebat ipsius exigua penus alendi vim, neque minus miraculo sustentata ipsa cum suis fuit. Eodem modo accipe miracula Christi, cum iam quinque panibus quinque millia hominum Ioh. VI, 9. 10. iam septem panibus quatuor millia saturaret. Marc. VIII, 5. 9. Quo iure & istud quasi collyridion Marc. VIII, 23. huc pertineat, nescio. Si haec cum cautela, ne vltra tertia comparationis

a) Vernünftige Gedanken logischen Büchern und Schriften vom Stern der Weisen etc. p. 21. aus dem 11ten Band der Nachrichten von den neuesten Theologischen Institutiones Theologiae polemicae T.I. p. 357.





tionis euageris, ad praesentem applicueris quaestio-  
nem: Operationes Gratosae nihilofecius erunt mira-  
cula, quamuis se exserant per verbum Dei, & hoc  
ipsum insigni ex sua natura virtute praeditum, demon-  
strationes omni exceptione in se maiores, atque vo-  
lendi rationes animo hominis urgentissimas offerat.  
Quis enim vel rudium plane & illiteratorum homi-  
num, quorum potior pars fere solis sensibus moue-  
tur, in istas demonstrationes, quas non capit, con-  
sentiens erit? Vel quis scientium, qui suae rationis  
dictamina antepone re mysteriis solitus est, eadem ad-  
miserit, sine auxiliis Gratiae, quae iuxta cum de-  
monstrationibus & motiuis animo sese insinuat, su-  
pernaturalis? Eam autem diximus miraculosam.

§. XXVII.

*Pergitur in expensione huius dubii.*

Singulas miracula pronuntiare Operationes gra-  
tiosas ratum non videbatur Viris quibusdam celebra-  
tissimis. Principium stabiliabant miraculosum, ex  
quo deinceps certo ordine, certa lege, omnes flue-  
rent in animis hominum mutationes gratiosae. Ita  
B. Canzius a) operationes Spiritus S. in regno gra-  
tiae respectu huius vocat ordinarias. S. R. D. Reu-  
schii systema ita describitur: b) „Die göttliche Natur  
„oder Kraft wird mit einem einigen besonderen Menschen  
„durch das allerhöchste Wunder dergestalt vereinigt, daß  
„in dieser menschlichen Natur die ganze Fülle der Gottheit  
„wohnet, welche nach vollendeter Erlösung von der Sün-  
„den-Schuld vor dem Gericht Gottes, in dieser genaue-  
„sten

a) Überzeugender Beweis  
aus der Vernunft von der Un-  
sterblichkeit. p. 112. Idem tradit  
in libro de Ciuitate Dei.

b) Nachricht von den neue-  
sten Theologischen Büchern, IV.  
Band p. 99.




„sten Vereinigung mit gedachter menschlichen Natur, und  
 „durch diese sich in die andere Menschen, so die Gnaden-  
 „Wirkungen willig annehmen, ergießet: auf welche Art  
 „alsdann, nachdem dieses höchste Wunder einmal zu  
 „Stande gebracht, die göttliche Kraft nicht mehr unmit-  
 „telbar, sondern mittelbar in andern Menschen würcket,  
 „und die zur Seeligkeit nöthige Eigenschaften hervorbrin-  
 „get. So sind die Gnaden-Wirkungen der Erleuchtung  
 „und Bekehrung in dieser einmal festgestellten Heyls-Ord-  
 „nung alsdann keine Wunderwerke zu nennen.“ Ha-  
 beant se ita haec omnia, vt sunt iudiciosissime pro-  
 posita, non me feriunt. Adstruxi enim supra certa  
 lege haec miracula fieri §. XVIII. Si vero principi-  
 um Operationum Gratosarum adoptetur miraculo-  
 sum, sane omnes actiones, inde resultantes, quam-  
 uis principii ratione ordinariae, tamen erunt mira-  
 cula respectu ad regnum naturae habito. Ideo au-  
 tem, quoniam ex naturae animorum legibus Con-  
 uersio atque Sanctificatio explicari nequeunt, has O-  
 perationes Gratosas dixi miracula. Conf. omnino  
 Illustris Bilfingerus. D. Ph. p. 225-228.

§. XXVIII.

*Dubium 2.*

Noua eaque sat grauis vrgere me videtur diffi-  
 cultas. Vicit irresistibilitas Gratiae, si per miracu-  
 lum operatur. Quis contra pugnabit? Si Gratia il-  
 labatur animo, velit homo, nolit, rapietur ad De-  
 um, deducetur quasi vinculis iniectis ad salutem. Ve-  
 nerab. sane Stapferus, l. c. p. 365. cum dixisset, Ope-  
 rationes Gratosas esse miracula, prono haec alueo  
 inde fluere existimat. „Esse, ait, Operationes Dei gra-  
 „tiosas in electis vera miracula; perinde autem esse,  
 „si creatura velit resistere miraculo diuino, acsi mo-  
 „les



„les mundi verbo Dei: Fiat Lux! resistere potuisse  
 „fingeretur,, Et quid mirum, quod Muhamedes,  
 qui clavis trabalibus liquidoque plumbo suum fatum  
 ligat, absolutam irresistibilitatem statuerit? a) No-  
 lumus Arabica transcribere, cum noua versio Partis  
 Suræ II. Corani, a Celeberr. nobisque Colendissimo  
 D. Prof. Michaelis confecta, in manibus sit. Verba  
 ita habent. p. 2. & 3. v. 4. „Hi ad regulam sunt (*conf.*  
 „*not. (a)*) a domino suo, atque hi sunt felices. v. 5.  
 „Illis certe, qui non credunt, idem est siue admo-  
 „neas illos, siue non admoneas: minime credent. v. 6.  
 „Ob signauit Deus corda ipsorum, auribusque ipso-  
 „rum & oculis impositum est operimentum - - .  
 Quantopere nostra sententia ab hac discedat, mox  
 patebit. Circumspecte & prouide hac eundum est.  
 Primo quidem euitari prorsus possunt haec miracula  
 gratiae, si nolis legere Scripturas, si respuas audire  
 praedicationem Euangelii, si absurdas quasuis fabu-  
 las & rationis delirantis somnia praeferas doctrinae  
 saluificae. Ita Christus in sua patria pauciora, quam  
 alibi, patrabat miracula, quod nolent sui ciues ipsi  
 praebere aures, quod ipso offenderentur, eumque  
 vilipenderent. Vid. Matth. XIII, 54-58. Secun-  
 do euitantur non raro Operationum gratiosarum  
 effectus, si audias verbum, legas, quin attendas rite  
 ad veritates in illo contentas, quin paedagogia bene  
 vtaris, solo forsitan nouitatis studio allectus, & vt  
 tempus teras, vel vt illud reformes ad rationis tuae  
 dictamina, vel quocumque alio fine. Matth. XIII,  
 v. 4. 19. Marc. VI, 20. Act. XVII, 18. seqq. Quam-  
 uis

a) Corani Sura II. v. 4. 5. 6. add. eadem Sura v. 16. seqq.

uis & hac occasione vti sciat gratia, prouti suo exemplo rem illustrat  
 D. Augustinus. "Veni, inquit, a) Mediolanum ad Ambrosium Episco-  
 ,,pum, & studiose audiebam disputantem in populo, non inten-  
 ,,tione qua debui, sed quasi explorans eius facundiam. &c. Rerum  
 ,,autem incuriosus & contemtor adstabam & delectabar suauitate sermo-  
 ,,nis. Addit Cap. 14. cum non satagerem discere, quae dicebat, sed  
 ,,tantummodo quemadmodum dicebat, audire, (ea quippe mihi iam  
 ,,desperanti, ad te viam patere homini, inanis cura remanserat) ve-  
 ,,nicbant in meum animum simul cum verbis quae diligebam, res etiam,  
 ,,quas negligebam.," Tertio pridem monuerunt Theologi, cum pro-  
 ductio effectus a Gratia neque per influxum physicae, aut alterius ali-  
 cuius necessitatis fieri possit, siquidem exhortationes adhibere solet;  
 neque per externam moralem suasionem, ne tribuantur homini ali-  
 quae vires; neque per vtriusque coniunctionem: illam euenire per di-  
 uinam ordinationem, medium efficacissimum continentem, nec tamen  
 per vim irresistibilem agentem. Subiectum in agendo non concurrere,  
 contra tamen agere posse. b) Plane vt ad miraculum creatura etiam ra-  
 tionalis & libera non concurrat, effectum tamen eius suppressere vel  
 excutere certo modo potest; velut si coecus velit ad suboriens lumen  
 oculos praeccludere, surdus ad reditum auditus aures obturare &c. Quo-  
 rum apprimae faciunt verba Breithaupti: "Quodsi homines gratiae ob-  
 ,,nituntur, vt negari nequit: eiusdem efficacia sollicitatit animum, ne-  
 ,,cesse est, ita vt sensu virium spiritualium affecti malitiose repugna-  
 ,,rint." c) Quarto autem fateri possumus cum multis nostrorum Theo-  
 logorum, *primos gratiae motus* esse omnino inuitabiles. Praeuenien-  
 tem adpellare solent gratiam, cuius effectus inuitabiles sunt. Ita Pe-  
 tri concionem qui audiebant, subito intime percussi & compuncti sunt.  
 Act. II, 37. Iam primum solliciti de via salutis dispicere coeperunt. Fe-  
 lix cum grauissime peroraret Paulus de iniustitia, castitate atque iudicio  
 futuro protinus in terrorem coniectus est. Act. XXIV, 25. Simile  
 motus audita de Iesu Salvatore doctrina factus est se sensisse Festus Act.  
 XXVI, 28. Scilicet, vt pro concipiendis rite *motibus Gratiae primis*  
 Magnif. D. Cancellarii Pfaffii mea faciam verba: d) hic neque procel-  
 sus in infinitum statuendus est. "Emergeret autem ex eo, si *primorum*  
 ,,motuum inuitabilitatem, quae & ex ipsa experientia rei quae natura li-  
 ,,quet (iam enim si oculos aperueris die posita, obiecta quaeuis quae  
 ,,adsunt, inuitabiliter vides) inconsultus quis negaret. Si enim quae-  
 ,,ratur, unde hoc sit, quod gratiae conuertenti non resistas, non po-  
 ,,tes respondere, hoc proficisci ex libera voluntatis tuae determinatio-  
 ,,ne, id quod esset synergismo inhiare, sed respondere debes, hoc ef-  
 ,,se ex Gratia praeueniente. Si deinde noua formetur quaeestio, vnde  
 ,,hoc sit, quod gratiae praeuenienti repugnantiam istam tollenti & te-  
 ,,sidoneum ad eiusdem non resistentiam reddenti haud resistas, non po-  
 ,,tes respondere, hoc iterum esse ex Gratiae praeuenientis alio quodam  
 ,,antecedente motu, cum de hoc itidem illa quaeestio recurreret, & sic in  
 ,,in-

a) L. V. Confess. cap. 13.      b) Wilh. Lyserus systema Thetico-  
 Execeticum p. 1104.      c) Vid. Ioach. Inst. Breithaupt Instit. Theol. de  
 credendis atque agendis Tom. II, p. 30.      d) Institut. Theol. p. 362.



„infini- tum. Itaque vel tandem ponendus est terminus, statuendumque, „*primos gratiae praeveniens motus esse inevitabiles.*„ Conf. B. Godofredus Hoffmannus in synops. Theol. p. 652. seqq. Constat ergo Gratia praeveniens, *motus primos inevitabiles operans in eo, ut, cum capacitas in homine actiua adsit nulla, etiam proximam incapacitatem passivam, id est, resistantiam hominis naturalem tollat.* Iam vero hominis interest, velit nolite. In statu veluti quodam medio constitutus est, quamvis impressae ideae conuictionem praestiturae, & cum iis coniuncti voluntatis motus graniter suadeant ad obsequia Gratiae. Supprimere poterit argumenta conuincencia, pessundare rationes volendi optimum; cum si his in omnibus non morosior fuerit, & gratiae sese relinquat, illa ipsum opus aggrediatur continet & perficiat. En in supra allegatis exemplis, cum attentio summa excitata esset, alii audientes dicto fuerunt Act. II, 41. alii non. Alii Act. XXIV, 25. ad tempus futurum & opportunitates, quid forte haec latuerat sint, ablegarunt omnia, alii in nescio quo indifferentismo subsisterunt. Act. XXVI, 28. Haec sunt ea ipsa, quae apud B. Musaeum leguntur Introd. p. 512. „Quamvis intellectus iam aliqua cognitione sancta quaedam illu- stratus sit, & vi illius excitatae cogitationes sanctae iam aliquo modo propendeant in spiritualia, tamen in voluntatis potestate esse, cogitationes ab obiectis spiritualibus auertere, inspiratam „*primam cogitationem sanctam suppressere, aut sub spinis curarum huius seculi voluptatumue carnalium suffocare, & ne modo ordinario per verbum auditum vel lectum aliae excitari possint, impedire.*„ Atque hoc iam idem est, quod his terminis enuntiare solent Theologi: homini reliquam esse ad Conversionem *remotam potentiam passivam, siue obedientialem.* Cum *motus primi resistantiam naturalem tollentes, ingenerati animo sunt, alii obediunt, & in his Gratia operatur omnia Act. XVI, 30. 34. alii nolunt Matth. XXIII, 37. εἰς νεκρῶν accepta gratia 2. Cor. VI, 1.*

*Absoluitur dubium 2dum.*

Si quis huius rei a me exposcat rationem, ei respondebo, profunde me haec omnia nescire. Generales rationes, quae ab omni bono, ab omni gratia, monstrante viam, conuincente, flectente, animos auer- tunt, suppeditari possunt: amor terrestrium, deliciae praesentium, voluptatum veneres & illecebrae, incontinentia, superbia, luxuries, fastus &c.: at cur iam alii Gratia sibi data ad haec vincenda & eliminanda vtantur, alii non, id diiudicare non potest nisi cordium scrutator. Quomocumque iudiciosissimi Philosophi, Leibnitius, Bilfingerus &c. explicent peccati originem, tamen quo pacto Adamus in aequilibrio, & non tantum in aequilibrio constitutus, in peccatum potius ruerit, quam integer sceleris manserit, determinate demonstrare nondum poterunt. In hac animorum abyssu quis fundum explorare sibi sumserit? Sufficiat nobis, siue homo, post remota per gratiam obstacula, felix per Gratiam velit fieri, siue infelix velit esse, abiecta & repudiata omni Gratia, in saluo constitutam esse Ipsam GRATIAM. O vtinam singuli, ei sese totos relinquendo, augeant diuinae huius, potentissimae, incomparabilis GRATIAE TRIUMPHOS!



00 A 6366

ULB Halle 3  
002 928 035



Sb.

VD 18  
D07

Reha. ✓





6

SENTATIO THEOLOGICA  
QVA ASSERTITVR:  
IONES DEI IN ANIMIS  
VM GRATIOSAS ESSE  
MIRACVLA.

A VCTORE  
E IACOBO BAVR  
TRO LEGENTE IN ILLVSTRI  
IO THEOLOGICO TVBINGENSI.



2. Cor. XII, 9.

Ἀρχῆς σοι ἡ χάρις μου.

GOTTINGAE  
VICTORINVM BOSSIEGELIVM  
A. MDCCLXVIII.

Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

